



17

1670, 53^a

24

A. C.

VINDEMIÆ JURIS,

Sive

DISSERTATIO JURIDICA

De

VINO,

Quam

Magnifici Jctorum ordinis indultu,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS STRAUCHII,

Jcti & Antecessoris famigeratissimi, Sere-
nissimorum Ducum Sax. ut & Celsissimi Princi-
pis, Domini FERDINANDI ALBERTI Ducis Brunsvicensis ac

Luneburgensis &c. Consilarii eminentissimi, Facultatis Juridicæ

h. t. Senioris, Curie Provincialis atque Scabinatus Adfesso-
ris gravissimi &c.

Domini Patroni ac Præceptoris etatem devenerandi

Publicæ disquisitioni exponit

CHRISTOPHORUS ALBERTUS

Steininger / Ratisp. A.

A. S. clv lxx. a. d. Kal. Decembr.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISII.



815 J



S. R. I.
LIBERAE & ILLUSTRIS
REIP. RATISPONENSIS
SENATUI MAGNIFICO,
VIRIS
PERSTRENUIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS & CONSULTISSIMIS,
DNN. CAMERARIO,
Coeterisq; CONSULARIS & SENA-
TORII ORDINIS PATRIBUS, DO-
MINIS & PATRONIS SUIS
GRATIOSISSIMIS.
VENERANDO ITEM
COLLEGIO CONSISTORIALI,
DNN. PRÆSID. & ADSESSORIBUS,
decenti dignatione Spectatissimis,
Dominis, Evergetis & Promotoribus suis
Maximis,
Vindemiam hanc Juridicam eâ quâ par est
submissione sacram esse jubet
AUTOR.





A. C.

PROOEMIUM.



Uanta veteribus olim circa vinum
cura, quantum studium, vel ex illo Horatii
lib. 1. od. 18. liquet, ubi ita infit:

*Nullam, Vare, sacrâ vite prius severis ar-
borem &c.*

Vetus illud: *πρώτον μὲν ἀμπελον* &c. ceu credibile est, imita-
tus. Præceptum profecto omni observantiâ dignum. Sole &
sale, communiter quidem circumfertur, sed per me addas
tertium, & vino nihil utilius. Non lubet jam in laudes ipsius
ire, ut ut tam sacra quam profana abunde suppeditarent, so-
lum Venusinum ulterius audire placet:

Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neq̃

Mordaces aliter diffugiunt solitudines.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiam crepat?

Et alibi amphoram vinariam sic compellat:

Tu spem reducis mentibus anxii,

Viresq̃, & addis cornua pauperi:

Post te nec iratos trementi

Regum apices neque militum arma.

De alio ejus effectu gloriantur communiter Poëtæ, videli-
cet:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,

Movit & certos nescia verba sonos.

Ovidius: — *nec non & carmina, vino*

Ingenium faciente, canunt.

A B

Unde

Unde etiam vetus Poëta Nicrates vinum Poëtarum equum appellavit græco epigrammate:

Ὅντες τοι χαρίεντα μέγας πέλει ἵππῳ δ' οἰδῶ,
ἴδωρ ἢ πίνων καλὸν ἔπι τοῖς ἐπῳ.

Quod ita vertit Mich. Piccartus obs. hist. pol. Dec. 15. 3.

Vinum equus est lapido promptus veloxq; Poëta,
Potus aquæ haud quicquam parturit egregii.

Non pigebit adscribere Joh. Cæl. Megapolitani duo epigrammata, exquisitæ elegantix, ejusdem ferè sensus:

O vini ambrosias laudes! ego munera vini
Oscutor; ipse bibat, qui mihi laudat aquam.
Si vinum desit, nil vena poetica profit,
Da vinum & venam vatibus, alme DEUS!

Alterum:

Aonio fas est ex fonte bibisse Poëtam,
Nobis vina magis quam sitiuntur aquæ.
A meliori post meliorem spero Poëtam,
Docta magis scribit, qui meliora bibit.

Sed hæc quidem tanti non sunt, cur vinum tantoperè extollamus; longè præstantius est, quod fomes quidam sit atque incitabulum ingenii virtutisque, ut Cretensis ille apud Gellium jactitabat Noct. Att. l. 15. c. 2. Et pulchrè iterum Flaccus:

Narratur & præsei Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Quamvis de Catone illo Majore verum esse, constanter quidam pernegent At quorsum hæc? an ut bibulis & vinosis spongiis, quorum τὸ ἢ ζῆν μὴ ἔστι ἢ πίνειν, ut Antiphanes dicebat. patrocinemur? minimè gentium. Scimus, vinum omnium malorum metropolim, flagellum cerebri, mortem memoriæ, stimulum libidinum, carnificinam articulorum, & nescio quid non indigitari. Nec nos abnuimus. Ut enim ipsis qui grandes, tam corporis quàm animi morbo-

rum

rum catervas (*Vid. Anton. Danti Offerv. di divers. hist. l. 3. off. 2. contr. igolos. Cael. Rhodig. lect. ant. lib. 28. c. 28. & 31.*) eidem adscribunt, hâc in parte credamus, experientia cogit, dummodo hoc nobis detur, ea omnia non tam ex vini bibitione quam immoderatâ in gurgitatione promanare. Illud vero cum præstantissimis quibusque pharmacis commune habet, quæ si ultra modum sumseris, præsentissimô erunt exitiô. Per me igitur vino interdiciant Græci suis nutricibus & pueris, Romani fœminis, Clericis Pontifices, Muhamedanis in univèrsam Alcoranus; ego quidem, & mecum qui non prorsus abstemius est, modicum vini usum, ad exultationem animæ, ut Salomon ait, procreatum, ne utiquam spernam. Qui propter remulentorum incompositum malignumque animum, reprobandum esse vinum, ejusque oblectamentum averfandum dicit; nâ ille propter perversum usum, rem per se non perversam suggillat. Leonis sunt verba *Nov. 65. pr.* in quibus sisto, ne extra oleas vagari videar, si prius monuero, me tædiosis Etymologicis evolutionibus nequaquam immoraturum, sed ipsum potius naturæ ordinem, eumque talem, qualis ex ll. hinc inde erui potest, observaturum.

RACEMATIO I.

^{De} VINEA.

PALMES I.

VIndemiaturô igitur omnium primô de loco circumspiciendum erit; Is est Vineæ. † Varia autem sunt quæ de vineis proponuntur, quæ breviter potius attingere quam longis ambagibus expedire animus est. Primum quod † disquirendum suscipiemus, erit species, quæ continetur in *pr. l. 13. ff. de S. P. R.* & est

A 3 talis

talis: Est mihi vinea, ratione cuius servitutem vi-
 cini praedii acquisivi. Sublatis dein vineis, quaeri-
 tur an servitus duret? Et respondetur quod sic,
 cum servitus ad solum magis quam ad superfici-
 em spectet: Quod si tamen aliter actum erit, da-
 3. bitur exceptio doli mali. Aliter † fingit Glossa:
 Habeo magnum agrum, qui in parte est vinea &c. Sed
 cur magnum? cur in parte tantum vineam? Vix opus est hac ad-
 4. ditione. Subjectum † in hac quaestione est vinea, seu alius qui-
 dam fundus. Quid sit vinea vel vinetum §. *manifestus* *J. de obl.*
q. ex del. nasc. cuius constat, fundus videlicet in quo vites plantan-
 tur: Figurate tamen pro ipsis interdum vitibus accipi, docet textus
 noster in verbis: Ideo sublatis vineis §. *38. J. de R. D. l. 61. ff.*
Loc. l. quid tamen. 10. §. 4. ff. q. m. usufr. am. Quale loquendi ge-
 nus perquam multis exemplis confirmat gl. h. Ipse enim fundus
 5. neque aufertur, neque demoritur. Ubi monet Accurs. proficere †
 hac scire eo in casu, ubi colonus certam partem fructuum vineae
 domino singulis annis praestandam promiserit; non enim tantum
 vitium, sed totius terrae vineatae, ut Bartol. loquitur, & proinde ar-
 borum quoque fructus pro parte praestabit. Nam contractus de
 re principali initus ad accessorium porrigitur *l. nomen. 34. pr. de*
 6. *Leg. 3. l. inter socerum. 26. §. 2. ff. de pact. dot.* Praedicatum † est
 duratio servitutis etiam sublatis vineis. Verum enim vero dubi-
 7. tare † posses de veritate hujus assertionis, quoniam mutatio praedii
 ipso jure servitutem tollit, ut patet *ex l. seq. 14. b. §. l. 24. ff. q. m.*
usufr. am. Jam vero sublatis vineis, praedium utique mutatum;
 8. esse, dicendum erit. Resp. mutationem † hic non intelligi superfi-
 cialem, cum e. g. ex vinea ager frumentarius fit vel avenarius, sed
 totalem, quae fit interitu ipsius praedii: veluti si locus per quem via
 aut iter debeatur, impetu fluminis occupetur, & ita ex vinea al-
 veus factus sit. *Dn. Praef. Differe. ad Jus Justin. VII. apb. 25.* Ratio
 9. decidendi † in eo est, quia servitus non tam vitibus, sive superficiei,
 quam solo debetur. Nec adversatur, quod vineae appellatione vites
 intelligantur; factum enim id solum ad demonstrationem fundi,

ut nosceretur cui jus quaesitum esset; per superficiem namque, sive
quae inibi nascuntur, distinguuntur genera agrorum. Quid tamen
fiet si contra actum sit? nihilominus manebit servitus ipso jure. 10.
Quamvis igitur pacti sint contrahentes, ut solis vitibus non fundo
debeatur, adhuc durabit, quia ipso jure ad tempus constitui ne-
quit, l. 4. de servit. Dn. Praef. d. l. apb. 22. Ope tamen exceptionis
pacti, vel doli mali, se reus tuebitur. Aequissimum enim est, ea
servari quae in contrahendo convenerunt, sive expressè, sive tacite.
Expressè, ut sublatis vineis servitus expiret; tacite, quia gratia fru-
ctuum vineae tantum erat quaesita. Sed quod tum si demum ad so- 11.
lum non superficiem referatur, si vineae in duplo mentio fit, quod
vult Bartol. difficile crediderim.

PALMES II.

Aliam instituit quaestionem Paulus in l. si duorum. ff. de A. E.
hunc ferè in modum: Vendidisti si mihi uno pretio 1.
duo praedia, vineam & pratum; quodlibet eorum
L. jugerum pronuncians. Postmodum comper-
tum est pratum esse minoris X. jug. in vineam vero
tantundem exuperare. Quid juris? Post longam disputa-
tionem ita decidit Paulus: aequissimum videlicet esse, ut
lucrum cum damno compensetur, & si quid de-
sit emtori, sive pro modo, sive pro qualitate loci
hoc ei refarciatur. Similis fere si est casus quem tractat Julia. 2.
in l. 22. sup. eod. nisi quod in l. 22. non sunt duo distincti fundi, sed
unus, qui partem vinea est, partem pratum. Rationes dubitandi
si & decidendi hoc in passu aliunde conquirere, nil opus est, ipse 3.
Paulus eas egregie suppeditat, cujus ductum sequemur. Quaestio
est: an venditor teneatur A. E. ad praestandum illud quod deest in
prato, nec tamen quod magis est in vineam repetere possit? Affir-
mativam si tenet Labeo ex hoc praecipue fundamentò, quoniam 4.
venditor tenetur ad id quod pronunciat. At, si in emtione mo-
dus

- dus dictus est, & non præstatur, ex emto est actio, ceu fatetur ipse
 Paulus *l. 2. l. 4. §. 1. l. 34. sup. b. t.* Eandem actionem dat L. XII.
 Tab. adversus eum, qui non præstat quod lingua nuncupaverat.
5. E. utique emtor venditorem convenire poterit. Num vero t̄ a-
 ctorem exceptione doli mali repellat? Non puto, quia nihil facit
 dolò emtor, qui ex emtò agit ob minorem modum prati, cum jure
 utatur perpetuò, qui autem jure suo utitur nemini facit injuri-
 6. am, *l. 155. §. 1. de R. I.* Jus perpetuum t̄ quod nam sit, variant In-
 terpp. Glosa, actionem ex emtò, quæ perpetua est, intelligi vult.
Cujacius in recit. solemn. ad b. t. lectionem hanc planè reprobat, &
 pro *perpetuum* legendum censet *publicum*, ut in *l. 13. §. 1. de injur.*
 vel *proprium*. Idem tamen in *Comment. ad Paul. b.* emendatio-
 nis suæ immemor, jus perpetuum idem esse dicit quod jus summū,
 jus directum; quam in rem allegat *l. 1. C. Tb. de Jur. Fisc.* Gotho-
 fredus in *notis b.* explicat, actionem ex edicto perpetuo, quod ve-
 7. rissimilius est. Hoc jure t̄ inquam perpetuò licite utetur emtor,
 nec proderit venditori quod in vineâ minorem modum dixerit, &
 inveniatur major, quoniam id compendium ad emtorem potius
 8. quàm ad venditorem illi pertinere volunt. Contrariam t̄ senten-
 tiam tuetur Paulus *sub fin. b. l.* cum ait: rectius esse, lucrum cum
 damno compensari, non enim ex alienâ jacturâ lucrum facere,
 quis debet *l. planè. 38. de her. pet. l. cum bi. 8. §. 22. ff. de transact. l.*
itaque. 28. ff. de dol. mal. l. nam hoc. 14. ff. de cond. indeb. l. 206. ff.
 9. *de R. I.* Quomodo t̄ autem emtorem ex emtò agentem venditor
 elidet, monstrat *d. l. planè.* nimirum officio judicis, qui, etiam non
 oppositâ exceptione doli mali, in judiciis b. f. compensationis ra-
 tionem habebit. Sed cur t̄ in simili casu *l. 22. sup. de A. E.* non i-
 dem dicit Julianus? Rationem differentiarum annotat *Cujacius Rec.*
 - 10 *sol. ad b. l.* hanc: Si venditor in vineâ dixerit esse CC. jugera, in-
 pratò C. & inveniatur in vineâ CCX. in pratò XC. emtor nihil
 consequetur ex emtò, quia ei nihil deest, (propterea autem actio-
 nes comparatae sunt, *pr. J. de Act.*) imò plus habet, quia X. jugera
 quæ ex perant in vineâ, pluris sunt quam X. quæ pratò desunt.
 11. Quamvis t̄ igitur mendacium dixerit venditor, mentitus tamen
 non est, cum dolosè egisse non potuerit, qui sibi ipsi damnum de-
 12. dit. Contra si in t̄ vineâ inveniatur CXC. in pratò CX. minus
 habet

habet emtor pro qualitate agri, quia X. quæ abundant in prato non tanti sunt quam X. quæ defunt vineæ. Quam largum enim fœnus præ reliquis prædiis vineæ reddant, notabili exemplo confirmat Columella lib. 3. c. 3.

PALMES III.

DE vineâ † communi oppignoratâ habetur rescriptum Imperatoris Alexandri l. 2. C. comm. div. ad Avitum quendam, vel ut alii legunt, Vitum, (forte enim A. Imperatoris nomini appositum librarius aliquis geminavit, & pro Vito Avito scripsit.) Species legis est hæc †: **Lucius Titius vineas sibi & fratri Vito communes, oppignoravit. Illud tanquam iniquum, Imperator reprobat, & Vito per Præsidem Prov. suam partem cum fructibus restitui jubet. Propterea communi dividundo agere, vel si commodè dividi nequeat, factâ æstimatione vel ipse totam redimere, vel ad creditorem fratris transferre poterit.** Hæc lex † satis elucide causam decidit, nec quicquam fere est de quo dubitare possis. Pignus conventionale, & quidem antichresin fuisse patet ex eo, quod fructus ex parte fratris non-debitoris Imp. restitui jubet. Hoc tamen aliquantum † mirari facit: Si res aliena vendi, l. rem alienam. 28. ff. de contr. emt. legari, l. 10. C. de Leg. §. 4. § 6. J. eod. donari, l. 13. l. 33. ff. de mort. c. don. mandari, l. 6. §. 4. mand. pr. l. eod. locari, l. 11. §. 6. ff. Loc. permutari, l. 1. §. 3. de Rer. permut. cur non item pignorari possit? At imò etiam pignorari. vid. l. 20. pr. de pign. act. Resp. † in recensitis hisce contractibus perpetuum non esse. Quod verò in specie legem 20. pr. de pigner. act. attinet, non simpliciter ibi asseritur, rem alienam licitè oppignorari, sed cum appposito, nempe voluntate domini, vel præcedente, vel sequente, b. aliquando præsumtâ, l. 12. ff. de pign. act. vel sub conditione, si ejus dominium postea nactus fuerit, l. si fundus. 16. §. aliena. ff. de pignor. Curator etiam, † tutor, procurator utiliter rem alienam pignoris nexu obligant, si-
B **quidem**

- quidem pecuniam in rem domini verterint, *l. 1. l. 3. l. 7. C. si res al.*
7. *pign.* Manet igitur †: Inscio domino vel invito, ullum præjudicium imponi non posse, & jure, & legum autoritatibus declaratur. *l. ul. C. eod.* Cæterum, cum affinis quodammodo sit speciei nostræ, † paucissimis attingere liceat famosissimam illam quæstionem: **An, si debitori, qui alienam rem pignori obligaverat, heres extiterit dominus rei, pignus convalescat?** Negat Paulus in *l. rem alienam. 41. ff. de pign. act.* Afirmat Modestinus, in *l. si Titio. 22. ff. de pign. & hypoth.* Sanè si ex
9. † contractû pignoris agatur, quin actio inde detur personalis contra heredem, non est dubium, quoniam obligationes ex contractibus transeunt in heredes activè & passivè; sed de eo dubitabatur, utrum daretur actio hypothecaria, quæ realis est, contra heredem? Tam varia † fingunt & excogitant commentatores pro conciliatione hujus Antinomix, ut in tantâ optione vix scias quid eligendum, quod Accursio quoque evenisse videtur in *d. l. si Titio.*
11. Alciatus *lib. 7. parerg. c. 14.* contra fidem omnium exemplarium, pro non, num legi debere putat, proptereaque à Roberto *2. recept. lect.* non inique reprehensus; sed nec ipsius distinctio quam ibi tradit, nodum solvit. Aliter *Gabr. Mudeus in l. 1. ff. de pign. n. 21.* Aliter *Connanus lib. 4. comm. c. 13.* aliter *Cujacius l. 29. obs. c. 26.* & ad *Paul. d. l.* aliter alii; quorum rationes acutè, ut solet, examinat, placideque refellit *Herm. Vultejus discept. jur. Schol. cap. 17.* Sed si quis (inquit idem ipse) quærat, quid ego sentiam, respondebo, fateri me, videre me quidem, quid non dicatur rectè, sed quid
12. rectè dici possit, me non satis pervidere. Placet tamen † omnino conjectura ejus quam affert sub finem *d. cap.* quando dicit, diversos sibi videri casus, & hinc quoque diversitatem decisionis. In *d. l. si Titio.* res aliena pignori † erat obligata domino prorsus ignorante: At in *l. rem alienam*, pignorata erat res aliena, domino non ignorante, sed potius non volente. Dicit enim Paulus notanter: Si ego Titio qui rem meam obligaverat **sine meâ voluntate** &c. Idem autem esse ignorante domino obligari, & obligari sine
14. voluntate domini, admittendum non est. Quis enim † dixerit, adver-

adversus dominum cujus expressâ voluntate (sit venia verbo) res oppignorata est, actionem hypothecariam dari debere. At vero contra nescientem æquius dabitur, cum voluntas ipsius, quia nondum dissensit, facilius præsumitur; eam siquidem aditâ postmodum hereditate confirmare necessum habet. Hæc interpretatio maximè idonea, ipsius etiam legis verbis finalibus juvatur. Eam quoque sequitur & contra insultus Wisenbachii protegit, quem sæpius laudavi *Præceptor meus colendissimus, Dn. Præses Dissert. ad Jus Justin. XIII. apb. 22. sub fin.*

PALMES IV.

Videbimus porro quid in locatione conductione obtineat, :
Locasti mihi † vineam X. aureis; cum vero vites effoetæ factæ essent, remissionem pretii impetrare volebam. Resp. Antonin. Imp. non audiendam esse hanc petitionem, cum novam rem desiderem. *l. 15. §. 5. ff. Loc.* Sed cur † non audiar? Certe tu, qui mihi fundum locasti, præstabis mihi re uti frui licere, per *l. si fundus §. 1. si quis domum. b.* Jam vero propter vetustatem vinearum commode & decenter frui amplius nequeo; Nec obstat, quod id absque tuo facto accidisse dicas, siquidem nihilominus obligaris *dd. re.* Nec novum est quod peto. Quid enim † interest an vis major aliqua fluminis, hostium, sturnorum, graculorum (quam præstare te cogit *§. 2. b.*) usum vineæ intercipiat, an ipsæ vites (quas inter βραχυβίος merito refert Theophrastus, Plinius & Columella,) præ vetustate arentes debitos non exolvant fructus. Quidni igitur remissionem pretii exigere poterò? Non. Rationes sunt in promptu: Cum enim † locatio conductione proxima sit venditioni emtioni *l. 2. b.* iisdemque juris regulis consistat; respondent enim pretium pensioni seu mercedi, & rei dominium facultati utendi; Utique quemadmodum res domino perit, ita naturaliter sterilitas & alii casus qui usum impediunt, damno conductoris erunt. Neque eo minus locator jus habebit ad pecuniam promissam, quia ipse facultatem utendi tradidit. *H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 12. §. 18.* Quod, tametsi jure Civ. nonnihil † immutatum reperiamus, ita ut

vis major & sterilitas locatori noceat, non tam late tamen illud accipiendum erit, ut quodvis damnum, etiam exiguum ipsi imputetur. Qui enim commodum sentit, sentiat etiam incommodum.

6. Quod igitur † vineæ speratos non reddant proventus, nullâ locantis culpâ est, & propterea ei nocere non debet. Eum enim qui fundum conduxit attendere oportuit, an seniles sint vites, nec ne; cum

7. neglexerit, sibi imputabit. Nam quemadmodum † in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quid pluris sit, minoris emere; quid minoris sit, pluris vendere, & ita invicem circumscribere: ita in locationibus quoque & conductionibus juris est, ait Paulus

8. *l. 22. §. ul. b.* Quod si † jam aliquot annis conductum habuit, neque in locum veterascentium vinearum alias substituit, rursus audiendus non erit, cum debeat colere & propagare ut bonus pater fam. & ideò commodum reportare non debet, unde puniendus

9. *sec. Dd. & gl. arg. l. sive hereditaria. 22. ff. de Neg. gest. & c. perve-*
nit. de fidejuss. Sed ut certi † aliquid hâc in re statuere possimus, distinguendum erit, utrum culpâ locatoris damnum contigerit, qui tunc tenetur ad id quod interest, *l. sed addes. 19. §. 1. ff. b. an vi*
maiore casuve fortuito; ac tunc saltim merces remittenda est con-
ductori pro ratâ dampni, d. l. si fundus. l. ex conducto. §. 1. & §. ubi-
quaque. eod. l. licet. C. de Loc. cond. ita tamen, ut remissio locatori non obsit, si cum ubertate vel præcedentis vel sequentis anni sterilitas compensari valeat, *d. l. ex conducto. §. cum quidam. & §. Papi-*
nianus. c. propter. de Loc. cond. Vid. Gudel. de J. Nov. lib. 3. cap. 7.

10. *p. m. 135.* Quantum autem † esse debeat damnum, cum sterilitatem allegare, & ad remissionem pensionis agere velit conductor, litigant vehementer Dd. Quinque diversas sententias enumerat, sextamque, quæ sua est, addit *Job. Mascard. de prob. vol. 3. concl. 1333.* ex quibus quinta & sexta omnium æquissimæ videntur.

PALMES V.

PRæcedenti casu exhibuimus colonum negligentem, vineamq; locatam parum curantem: Producamus nunc † ex adverso diligentissimum, qui etiamsi locationis lege non esset comprehensum ut vineas poneret, nihilominus

in

in fundum vineas instruit, ita ut propter earum fructum denis amplius aureis ager locari coepisset. Quæsitum est, si dominus istum colonum fundò ejectum pensionum debitarum nomine conveniat, an sumtus utiliter factos in vineis instituendis reputare possit, oppositâ doli mali exceptione? Respondit: vel expensas consecuturum, vel nihil amplius præstaturum. Ita decidit quæstionem hanc Scævola *in pr. l. 1. ff. Loc. cond.* cum quo concordat Paulus *in l. dominus §. 1. sup. eod.* Locationes conductiones tam privatarum rerum, quam ad Rempl. pertinentium † olim plerum- 2.
que in quinquennium fieri solitas, cum ex jure nostro Civ. tum ex historiâ Rom. annotavit doctissimus Cujac. *ad §. ul. l. 24. Loc.* Hinc quæritur † an nondum finito hoc tempore locator conducto- 3.
rem ejicere possit? Et videtur quod non; pactis siquidem & conventionibus standum esse regula juris vult. In quibusdam † ta- 4.
men casibus contrarium servatur, veluti si ipse dominus re locatâ indigeat, aut reficere velit; si conductor intra biennium pensionem non solverit, si malè versatus fuerit, *l. 3. C. h. l. 54. §. 1. ff. eod.* At propter tale quid † conductorem *in l. n. ejici potuisse*, ipse tex- 5.
tus refragatur: Non enim vel dominus re locatâ uti voluit ipse, aut reficere opus habuit, vel conductor malè ibi versatus est, cum propter ubertatem fundus denis amplius aureis locari coeperat. Ejici igitur non debuit, multo minus eo facto, canonem exolvere, nisi impensæ in rem utiliter factæ sibi restituantur. Objicis: Atqui in 6.
emtionem (quæ tamen iisdem regulis consistit, *l. 2. pr. ff. Loc.*) diversum statuit Imp. Justinianus *l. fin. in fin. C. comm. de leg.* Idem conceptis verbis in *Nov. 120. cap. 8.* negat de emponematis actionem movere posse conductorem ejectum. Non inficior: † Sed 7.
conductorem rem deteriore facientem, sed canonem biennio non inferentem, sed contra venerabiles domos. Nec magis nos ferit *all. l. fin. C. comm. de leg.* quod enim ibi asseritur emtorem re evictâ à venditore solum pretium, non etiam meliorationes consequi, inde est, quod rem alienam emerit, quod sciens emerit.

PALMES VI.

- L**ongum nimis foret, nec unius dissertationis labor, singulas, ubi vinearum mentio fit, leges excutere, qua propter aliqua, quæ de iis traduntur, ὡς ἐν παρῶδῳ καὶ ἀτάκτως apponemus, ulteriorem.
1. inquisitionem cathedræ reservantes. Vineam † vitrico in dotem datam, privignus, cuius est, rei vindicatione repetere poterit, nisi longi temporis obstet præscriptio. *l. 3. C. de præsc. long. temp.* Simi-
 2. liter & ille † qui alium in possessione vinearum suarum sine causâ
 3. repererit. *l. 6. C. de adq. & ret. poss.* Vineâ venditâ † an vasa vinaria, torcularia &c. vendita censebuntur? *Neg. l. 17. pr. ff. de A.E. instru-*
menta enim magis sunt, tametsi fundo partim cohæreant. Non obst.
l. 19. §. 2. ff. Loc. multo minus vinum, aut alii fructus percepti, §. 1.
ea enim specialiter veneunt. §. 1. Pali quoque qui vineæ causâ pa-
rati sunt, antequam collocentur, fundi non sunt, sed qui exempti
sunt hâc mente ut collocentur sunt fundi. §. fin. ibid. Quid in lega-
 4. tis † obtineat paucis dicemus: Fundo legato seu vineâ, dotes illius, ἐν δόταις (*Vid. Cujac. ad Papin. b. 1.*) sive accessiones & instrumen-
ta, ut sunt stercora, stramina, boves aratorii, ligones, pedamenta,
dolia, torcularia, quali vindemiatorii, exceptorii in quibus uvæ
comportantur, fiscellæ, castellatæ, ungues ferrei, uvis desecandis
ne manu discerptis in terram pereant acini, & alia ejus generis
quæ ex Columellâ congestit *Cæl. Rhod. loc. supr. alleg.* legatario
non præstabuntur. *l. 2. §. 1. ff. de instr. vel instrum. leg.* At cum in-
strumento legato, omninò *l. 8. l. 12. pr. & §. 27. b.* Instructio vero,
adhuc magis, ita ut etiam suppellex, vina quoque & libri si quos i-
bi testator usus gratiâ habuit, contineantur. *§. 27. 28. 31. seqq.* quæ
vero custodiæ tantum gratiâ, non item, *§. 29. & 30.* Inter dum ta-
 5. men † instrumento plus, interdum minus accedet, pro varietate
locorum *d. l. 8. §. 1.* Optimum igitur erit, non propriam verborum
significationem scrutari, sed imprimis quid testator monstrare vo-
luerit, deinde in quâ præsumptione sunt, qui in quâque regione
morantur, eleganter monet *Pedius in l. 18. §. 3. inf. b. t.* De vasis
vinariis inferius dicendi erit occasio. Tantum de vineâ.

RACE-

RACEMATIO II.

De

VITE.

PALMES I.

Non sufficit habere prædium, sed & vitibus illud conferere oportet. Quapropter pauca quædam, quæ circa vites occurrere animadvertimus hûc adferemus. Duplicem autem † reperimus vitis usum, naturalem, fructus ferentem; & moralem tribunitiam centuriam, militarem. Quemadmodum enim & vinea militaris † est, machina quædam majoris operis molisque, quæ viminibus, vitis instar hinc atque inde ad latus utrumque assurgentibus, interque se contextis, cubiculi alicujus specie, oppugnatores circa muros tegebat, crudis per latera coriis, & superne nonnunquam terrâ, adversus tela & incendia cooperta, veluti eam depingit *Fl. Veget. de R. M. lib. 4. c. 35.* Ita & vitis militaris, ex usu quem præstitit, fuit. De hac extat. *l. 13. §. 4. ff. de Re mil.* Irreverens miles non tantum à Tribuno vel Centurione, sed etiam à principali coërcendus est. Nam eum, qui Centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notaverunt. Si vitem tenuit, militiam mutat; si ex industriâ fregerit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur. Reip. Romanæ ad tantum † fastigium elate, non minimum momentum puto attulere exactissimæ circa disciplinam militarem leges, quibus tantum præstabatur obsequium, ut aliquando arbores fructibus plenæ in mediõ castrorum intactæ relinquerentur. Testes in hanc rem voco tot rerum Rom. scriptores, quibus laudabilis ille rigor cognitus, & ut videtur, ipsis solis; nostra enim tempora ferè ignorant, ubi militia tutissimum ut plurimum asylum turpissimorum scelerum. Hinc *Nicol. Everb. conf. 1. n. 94.* liberè profitetur, proprium esse militis omnia rapere &

& deprædari, quodocunque commoda svadet occasio. Hoc ma-
 lum tam profundas egit radices, ut *Scip. Ammir. disc. ad Tacit. lib.*
11. c. 4. non immerito dubitet an possibile sit bene ordinatum hâc
 ætate instruere exercitum. Leges quidem & constitutiones milita-
 res (*Kriegs-Recht / Artieuls, Briefe / Reiter, Bestallung / Vid. Pe-*
tri Pappi Corpus Juris militaris) abundè suppetunt, qui eas obser-
 vent valdè pauci. Sed redeamus è diverticulo in viam. Primum
 6. † quod præcipit *l. n.* est coërcitio irreverentis militis, à Centurione,
 Tribuno, vel principali (duce vel Imperatore) facienda. De Ma-
 gistratibus militaribus & eorum officio consulendus est *Fenestella,*
 7. & antiquarii communiter. Tribuni militum † quot, quando, &
 quâ potestate creati, enarrat *Liv. lib. 3. c. 51.* munus illorum, *lex 12.*
§. 2. b. Idem castris metatis ab omnibus juramentum exigebant,
 quod nihil è castris ablaturi essent. Si igitur tale quid accidisset,
 aut aliò modò reverentiam debitam miles non exhibuisset coër-
 8. cendi facultatem habebant. Erant autem animadversiones † pro
 cujusque delicti ratione aliæ leviores, aliæ acerbiores. Leviores:
 parte stipendii spoliari, extra oppidum hibernare, fossam fodere,
 hordeò pasci, stantem cibum capere &c. Gravior: virgis cædi,
 venire, fuste, securi percuti, in crucem tolli &c. Quarum omnium
 exempla passim apud *Livium* reperies. *Vid. l. 3. ff. b.* ubi singulis
 delictis singulæ pœnæ assignantur. Quod si delictum ad totam
 pertineret Legionem vel Cohortem, sorte misâ, decimus quisque
 ad supplicium poscebatur, Appiò *Claudiò*, ut quidam volunt, in-
 stitutore; Cujus instituti rationem elegantissimam reddit *Cicero*
 9. *pro Cluent.* Alio quoque modo † civis pledebatur; alio modò ex-
 traneus. Cives, quibus postmodum Latini plebiscitò æquati, vite;
 flagello, virgis, fuste extranei. Vitis siquidem minus infamabat
 quam fustis. *Plin. lib. 14. c. 1. Petr. Crin. de honest. discipl. l. 23. c. 2.*
 per vitem enim etiam in delictis pœnam honorabant. *Cæl. Rhod.*
lib. 26. c. 33. sub fin. Fuitque hoc signum Tribunorum mil. ut quem-
 admodum Consulibus fasces, ita his vites præferrentur. Quoties
 10. † igitur miles delinquebat, ab ipso Tribuno vel Centurione vite
 vapulabat Unde *Lucillio Trib. mil. militaribus* (ut ait *Tacitus ann.*
1. c. 23. v. 4.) facetiis vocabulum *Ceddò alteram*, indiderant, quia fractâ
 vite intergò militis, alteram clarâ voce, ac rursus aliam poscebat.
 Memi-

Meminerant hujus † poenæ *Plutarchus in Galbâ, Florus, Macrobius*
 & alii. *Vid. Rosin. antiq. Rom. lib. X. c. 25. Alex. ab Alex. Gen. dier.*
lib. 4. cap. 10. sub fin. & lib. 6. cap. 18. Cœl. Rhodig. l. cit. Jacob. Ma-
sen. Palastr. Styl. Rom. lib. 4. c. 46. §. 5. Wilb. Godeleva. Comment.
ad T. Liv. lib. 2. c. 5. verb. virgis cadunt. Post assertam Tribunis † 12.
 coërcendi milites potestatem, porrò exponitur, quâ nam poenâ a-
 nimadvertatur in eum qui castiganti Tribuno se opposuerit; ni-
 mirum *notasse illum veteres*, inquit Macer, quod de infamiâ Ac-
 cursius intelligit. *Si vitem tenuit, militiam mutat*, i. e. locum vel
 ordinem. *Si ex industriâ fregit, vel manum Centurioni intulit, ca-*
pite punitur. Idem quoque traditur *supra l. 6. §. 1. b.* illud tamen
 additur: *petulantia crimen dignitate praposti augeti.* Hoc jure
 hodiernum † utimur, ut patet ex Constitutionibus militaribus Im- 13.
 peratoris Maximiliani II. Spiræ 1570. promulgatis *art. 13.* Wo et-
 ner oder mehr auf Zügen und Wachen/ durch einen andern Befehl-
 lichen Mann/ aus billigen Ursachen/ und darum daß er anders thät/
 dann ihm als einen Kriegsmann gebühret/ gestraft wird/ und er sich
 gegen ihme retteriren/ oder zur Wehr stellen / oder mit schmähtlichen
 Worten einlassen würde/ der soll darum nach Erkänntnis der Obri-
 sten und des Rechts gestraffet werden. *Simile cavetur † in Rö. 14.*
regl. Maj. zu Schweden Kriegs. Articuls. Brief tit. 4. art. 23. & 24.
 Würde sichs aber zutragen daß einer unsern Feld-Marschall an Ehr-
 und Redligkeit angreifen/ oder mit gewaffneter Hand im Zorn ih-
 me widersehen solte / könnte auch dessen genungsam überführet und
 überzeuget werden/ er habe ihme gleich am Leibe Schaden zugesüget
 oder nicht/ der soll andern zum Abscheu am Leben unminachlässig ge-
 straffet werden. Würde auch einer nur mit der Hand nach ihme
 schlagen/ er erreiche ihn damit oder nicht/ der soll dieselbe verwretet
 und verlohren haben. *Quod s. seq. extenditur ad reliquos supe-*
riores officiales. Cum quo † congruit art. 12. Königl. Maj. zu 15.
Dennemarck Kriegs. Articuls. Brief. Et Helveticorum, art. 21.
 quemadmodum etiam idem sonat *art. 77.* des Holländischen
 Kriegs-Recht: Ein Soldat der an sein Bewehr greiffet wider seinen
 Obristen oder Befehlhaber/ soll am Leben gestrafft werden. *Rectis-*
sime. Nisi enim † tam severè cohiberentur *militaria ingenia,*
nulla esset reverentia, obsequium nullum, timor nullus. Neve
 C timo-

17. timorem † in milite exulare debere dicat quispiam: Miles Duce[m] qui metuit, hostem non timet, Romanorum veriverbium est.

18. *Vid. Val. M. l. 2. c. 2.* Noverit tamen † prudens Imperator vel Dux parcē uti vi legibus concessā (*conf. l. 12. §. 2. ff. b.*) ne quem metuunt, oderint. Non timorem solum, sed & amorem sibi colligat; parentis enim locō Imperator militi est, de quō *vid. Job. Gruet. in Floril. Etb. part. 2. p. 346. Scip. Du pleix. Tr. de duello. Sicur de Courbousson liv. de la milice Françoise chap. 1. & alios apud Petr. Pappum d. l. ad art. 77. des Holl. Kriegs. Recht. p. m. 196.* Sed redeamus ad naturalem vitis usum.

PALMES II.

1. **V**itis frugifera varias † enumerant species rei rusticæ scriptores & Georgicorum commentatores, vel ratione qualitatis, vel loci, vel alio modo inter se distinctas; ut Mersites, Faventina tricenaria, quod tricenae amphoras reddat jugerum; cathartica; the-riana, quæ *πάρλα τῶν ἀγίων δ' ἡμάλα* perfanat &c. Quo pacto hæ-
fiant ex Pallad. *l. 3.* docet *Cæl. Rhod. lib. 6. cap. 16.* Præcoques & duracina; Bumasti, dactyli; Stephanitæ, tripedaneæ, unciaria, cy-donia, venicula, & plures aliæ de quibus latè *Colum. d. lib. 3. Mi-*
2. **rificum** † planè, & portento simile est, quod narrat. *Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 9. in pr.* in citeriore Germaniâ intra Danubium vites aurum proferre, foliis & claviculis ex purô aurô superbire, non ubique quidem, sed modo hic, modo alibi, fortitutō eventū & pro-
ut naturæ libitum est: atque id apud incolas pro ostentō minimè haberi; sed quia in locis pluribus id accidere solet, quasi inter
3. **quotidiana** frequentia reputari. Felices Germanos, † si verum est; non in videbimus Chiis, Lesbiis, Hispanis, Italis sua vina. Sed vereor, ne parem cum Æsopi gallinâ auriparâ fidem merea-
4. **tur.** Ad vitem † racemiferam redeundum est. Quâ de quaritur an arborum numero sit? Negat Columella, qui medium genus po-
nit inter arbores & frutices. Sed Theophrastus inter arbores recen-
set, Plinio ad stipulante *l. XIV. c. 1.* Vites jure apud Priscos magnitu-
dine quoq; inter arbores numerabantur. Et Horatius: Nullam, Va-
re, sacrâ vite prius severis arborem. Et Alcaeus, à quo Horatius acce-
pit: *μηδὲν ἄλλο Φυσιῶσις πρότερον δένδρον ἀμπίλω* Ut verissimè scri-
pserit

pscribit Ulpianus *l. 1. ff. de arbor. cad.* arboris appellatione etiam vites
contineri. Vide *Aegidium Menagium Amoenitatum juris c. 9.* Ejus cul-
tura quantum veteres tribuerunt, jam tum dictum est. Huc quoque
facit *Nov. 71. Leonis*, qua cavetur de non aedificando in vineis, vel
propere eas, intra certum spatium, ne umbra vitibus noceat; Et in-
terdictum quod vi aut clam, quo tenetur, qui vitibus damnum in-
fert, aut eas succidit, *l. si alius. 7. §. idem §. ff. quod vi a. cl.* Forma
quoque censualis, qua cavetur, ut referatur, vinea quot vites
habeat. Numerantur autem etiam succisae, nisi cadendi, causam
censitori probaverit colonus, non vero aridae & demortuae *l. 4. ff.*
de cens. Omnium vero maxime t elucet ex *l. 1. pr. ff. de tign. junct.* 7.
qua sic habet: **Lex XII. Tab. neque solvere permit-**
tit tignum furtivum aedibus vel vineae junctum,
neque vindicare. Quod prudenter lex effecit,
ne vel aedificia hoc praetextu subruantur, vel vi-
nearum cultura turbetur. Sed in eum qui con-
victus est junxisse, in duplum dat actionem.
Praestat ipsa legis Decemviralis t audire verba. Ea refert Festus 6.
in voce Tignum, ita: **Tignum junctum aedibus, vi-**
neaeve, & concapune solvito. Tigni appellatione t
omne genus materiae, ex qua aedificia constant, omnia item vineae 7.
necessaria venire Ulpianus docet *§. 1. b.* Sed *concapu* quid? non
capio. Corruptam esse vocem facile credam, sed ex emendatori-
bus nescio cui. Ut elidant t hoc offendiculum, ad divinatoriam 8.
confugiunt ferere omnes, pauci auspicato. Quidam legunt *vineae ne*
capito; quidam *vineae cum capite*; alii *vineaeve concaptum*; hi *co-*
pula, isti *capulo*, quae posterior longissime a vero sensu recedit: Ita
enim *Arnoldus ab Harsolte t Tr. de action. part. 7. act. 10. citante* 9.
Salmuthio in Comment. ad Guid. Pancirol. de per. tit. 23. p. m. 71. ex-
plicat, quasi noluerint Decemviri tignum *capulo* seu feretro, quo
mortui efferebantur, junctum, dissolvi. Pia sane interpretatio t 10
sed ad rem minus accommodata. Etsi enim per *Capulum* Festus
inter alia etiam id intelligit, quo mortui efferuntur, (unde *Capu-*
laris

Iaris senex) *capuli* tamen in tigni explicatione apud Festum men-
 tio nulla. Nulla quoque apud Ictos, qui legem hanc interpretan-
 tes, ædium quidem & vineæ crebro, *capuli* autem seu fererti nun-
 11. quam meminerunt. Felicius rem tetigit † ingeniosissimus inda-
 gator Jos. Scaliger ad Festum, in voce Tignum, ubi pro *Concapes*
 (nam sic quoque antiqui quidam libri scribunt) legit **conca-**
pes, quemadmodum Oscè *primicapes, procapes, deincapes, anca-*
capes &c. dicitur. Ejus vestigia legunt *Cujacius, Hotomannus, Go-*
 12. *thofredus, Salmuthius d. l. Tignum* igitur † *concapes vineæ* vocatur,
 quando habet caput suum cum capite vitis commissum; Capita
 autem non summitates sarmentorum sunt, sed radices, quibus
 tanquam ore alimentum attrahunt, ut volunt *Turnebus, Taubman-*
nus item & Farnabius ad Virgil. Georg. lib. 2. vers. 355. Arbor liqui-
 13. dem inversa homo est. Non impugno hanc † illorum sententi-
 am, sed neque illum magnum errorem errare putem, qui per
 Concapes tignum non palos solum, rīdicas, characios & reliqua
 pedamenta vitium radices tangentia, sed perticas quoque, quibus
 singulae vites per transversum in unam ordinis partem adnecti so-
 lebant, (Columellā teste) intelligit. De vitium culturā & fulciendi
 14. modo vid. *Cic. de senect.* Tignum *concapes*, † quod subjectum fa-
 cit in *l. n.* quid sit, dictum est; quid nam de eo prædicetur, subne-
 ctemus, nimirum: *ædibus vel vineæ junctum licet furtivum, nec solu-*
vere, nec vindicare licere: In eum tamen, qui junxisse convictus est,
 15. *dari actionem in duplum.* Nec interest † an bonā fide an malā
 junctum fuerit; hoc tamen discrimine, quod adversus m. f. pos-
 sessorem actio de tigno juncto sit pœnalis, & præterea quoque in
 ipsum detur Rei vindicatio, & actio ad exhibendum, non quidem
 ut eximere cogatur tignum; huic enim incommodo obviam itum
 est lege XII. Tab. Sed in hunc effectum, ut æstimetur, quasi dolo
 possidere desiit, *l. 1. §. 2. h. l. 23. §. pen. ff. de R. V. Dn. Pres. d. l.*
 16. *Diss. VI. apb. 45.* Ubi etiam inquit, an b. f. possessor dupli con-
 demnationem evitare possit, si tignum paratus est eximere? Quod
 affirm. *arg. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. l. 2. §. 17. l. ul. ff. ne quid in loc.*
 17. *publ.* Tum quod lex XII. Tab. non nisi ordinariam actionem ad
 exhibendum, & rei vindicationem impedire voluit, juxta quam
 invito

invito etiam possessori res potest auferri, *l. 68. ff. de R. V.* Si vero
tignum alienum † bonâ fide junctum, neque etiam furtivum sit, 17.
(quod omninò fieri potest, contra quam statuit Dom. Arumæus
Disp. ad ff. 8. tb. 8. sub fin.) non dupli actionem, sed in factum præ-
toriam pretiî nomine dari putat Cujacius *23. obs. 19. per l. 98. in
fin. ff. de solut.* quod vix tolerandum est, propter textûs generali-
tatem, *vid. d. l. 23. §. tignum. ff. de R. V.* deinde, ne simplo conten-
tus esse, req; suâ invitus carere cogatur dominus. Neque etiam
id vult allata *l. 98. §. fin.* ubi per *pretium* intelligendum est adæ-
quatum, & legibus definitum, nim. duplum. Illud adhuc † no- 18.
tari meretur, favore ultimarum voluntatum obtinuisse, ut tignum
ædibus junctum legari possit, quod absque injuriâ seu deforma-
tione auferri potest, *l. nutu. 21. ff. de Leg. 3.* vel ad opus Reip. faci-
endum spectat. *l. cætera. 41. §. sed si. ff. de Leg. 1.*

RACEMATIO III.

De

VINDÉMIA

PALMES I.

Maturuerunt uvæ, vindemiandum est: Sed feriis ad hoc opus,
ne ipso in opere disturbemur. De variis veterum festis vi-
nalibus † modo in Veneris honorem d. 22. April. modo Jovis d. 1.
19. Aug. institutis dicere jam nil attinet. De his præter alios vi-
deri potest Matth. Dresserus *de fest. dieb. Christ. & Ebn. ad d. 19.
Aug. p. m. 148.* Non enim de vinalibus, Diis sacris; sed de vinde-
mialibus, profanis & rusticis feriis solliciti erimus: Quale *εὐαματῶν*
festum etiam Imperatores cum amicis agitare ruri solebant. Vide
Lampridium *Heliogab.* De his † *Minutius Felix Octavio*: Ad vin- 2.
demiam feriæ judiciariam curam relaxaverunt. *Vide quoque Cy-
prianium epist. 1. ad Donatum.* His diebus etiam feriæ erant à studi-
is, ut constat ex Div. Augustino *confess. l. 9. c. 2.* Edicunt vero de his † 3.
Impp. *in l. omnes 7. C. de feriis.* Et Theodosius ad Vicenum *in l. 2.
C. eod.* Sed qui fit, ut Theodosii Constitutio inter Constitutiones 4.

C 3

Con-



Constantini intercaletur, præcedat etiam Valentianum, Valentem & Gratianum, contra ordinem in Codice observari solitum? Quis est iste Vicenus ad quem rescribitur? Quibus Coss. rescripta? quo Orientis loco ita mature vindemiatum? Auget dubium, quod Collectio Constitutionum Ecclesiasticarum, quam sub titulo Paratitlorum edidit Leunclavius, legem, *Omnes Judices*, ubique citent ordine secundam, & legem *quadraginta* faciant quintam, quæ nobis est sexta, Nec assentior Leunclavio, qui putat legem, hanc nonam fieri debere, quæ deesse in hoc titulo notatur. *Vid.*

5. *Ant. Augustinum.* Sed jam dudum † animadverterunt viri eruditi, legem hanc esse adulterinam. *Alciat. 6. parerg.* Nam & *irritare* pro irritum facere, non est vocabulum ævi Theodosiani, sed barbarum, & in antiquis Codicibus non habetur hæc lex, nec ab Accursio glossate donata: nec in Codice Theodosiano reperitur. Quare Wesenbecius *parat. b. tit. n. 6. & add. l. 2. C. b.* à Gothicis Regibus, Tholosanis & Hispanis profectam, Codici Justiniano intrusam statuit. Ne multis, est Rex Theodoricus, (non Theodosius Imp. ut fert inscriptio, ceu notat *Dn. Pras. Dissert. XXIV. aph. 11. in fin. ex Goldast. pras. tom. 3. constit.*) Walameris Regis Gothorum filius, Patricius & Consul. (*conf. Ruperi. obs. in*

6. *Synops. Besold. min. cap. 15. p. 507.*) Impertit † autem *d. l. omnes feriis vindemialibus L. dies & ultra*, nimirum à X. Kal. Septemb. usque Idus Octobr. in quibus diebus continuum justitium. Aliàs

7. pro locorum † & annorum diversitate frugumque ubertate, Præsides provinciarum tempus statuere solebant *l. 4. ff. b.* Unde colligitur † licere dominis ditionum subditis suis uvæ colligendæ usum, interdicerè ante diem ab eis indictam. Quod apud suos servari Choppinus, ut refert *Hilliger ad Donell. lib. 24. c. 7.* testatur. Idem & in hoc districtu obtinet. Quamvis hæc de reconquesti fuerè superiori seculo Status Imperii in Comitibus Noribergensibus A. 1522. apud Hordlederum von Ursachen des Teutschen Kriegs *lib. 1. cap. 1. pag. 21. n. 105.* ibi: So die armen Leute ihre Weinberge im Herbst ablesen wollen/ wie den daß einem ieden zu seinen Nutz bequemlich und billig ist/ so dann solches denen geistlichen Ständen / die derselben Ort den Wein-Zehenden haben/ nicht gefällig/ verbieten sie denselben Häckern/ daß sie solche Weinberge nicht ablesen sollen / bis sie ihnen

ihnen daß vergönnen/ & quæ sequuntur. Diximus ne factos esse hos 9.
dies, quibus ad iudicium venire nemo cogendus est, *l. 1. pr. l. 6. l. 9.*
ff. b. t. Verum: aliud † dicit lex *20. ff. de in j. v.* videlicet omnino
licere aliquem à vineâ in jus vocare. Mendi arguit hanc lectio-
nem Gothofredus *in not. b.* neque enim cur de vineâ hoc potius,
quàm alio agrorum genere dicatur, se videre ait: Proinde pro Vi-
neâ, Januâ substituit, fretus autoritate Basilicorum, quæ legunt *ἄρθρον*
πυλῶν ©. Non facio meam † hanc litem, id solum affirmare non ii-
dubito, quod, tametsi maneat vineâ, textum hunc subaudiendum
esse non de eo tempore quo vina demuntur seu vindemia est, sed
alio: vel saltim de iis causis, quibus ex morâ periculum accederet.
vid. l. 1. in fin. l. 2. 3. 9. b. l. 8. §. 2. ff. de tut. & cur. dat. l. 3. §. 3. de
tutel. l. 1. §. 4. ff. de op. nov. nunc. l. 1. l. 3. C. de fer. Et hæ † feriæ
non tantum rusticis aut vineas habentibus, sed omnibus profunt.
Dn. Prof. d. l. Wesenbec. b. t. n. 7. ibiq; Hahn. Ubi vero vindemia
nulla † ibi nullæ feriæ, nec enim effectus producitur absque causâ. *13.*
Reyger. de process. jud. Diss. 4. tb. 8. Sed & feriis hisce † partes re-*14.*
nunciare possunt *l. 1. §. 1. l. 6. b. t. c. fin. in fin. eod. Gail. 1. obs. 53. n.*
16. 17. iudice tamen consentiente *Ant. Thesaur. decis. pedem. 39. n. 2.*
In Camerâ Imperiali † hoc tempore libelli supplices recipiuntur, *15.*
processus & mandata cum vel sine clausulâ, maximè ob moræ pe-
riculum decernuntur aut denegantur, & ut audientiæ quoque ce-
lebrentur, disposuit *Rec. Imp. noviss. de Anno 1654. §. die Unterschei-*
dung. 82. vers. dann secundò in den Canicular ferien und andern
Vacantien &c. Jus Bavaricum † ordinaria saltim, non etiam sum-*16.*
maria iudicia cessare vult. *Summarischer Proceß der Fürstenthüm*
Ober- und Nieder- Bayern tit. 4. art. 9.

PALMES II.

DE feriis † vindemialibus profanis, & utilitati hominum in fer- *1.*
vientibus, & quatenus strepitus forenses in iis filere debeant,
dictum est occasione *l. 2. c. b.* Sequenti constitutione † circa diem *2.*
Dominicam disponitur, an opificia licite in eâ tractentur, & an
agriculturam exercere colonus possit? Prius severè prohibetur;
posterius admittitur. Quare? quia † opificia pleraque, & seden- *3.*
tariæ

cariae artes quavis tempestate exerceri possunt; ad fructus autem
sive ferendos, sive colligendos commodus & idoneus æther expe-
4. ctandus est. Hinc, cum frequenter eveniat, ut non
aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ serobi-
bus mandentur, ne occasione momenti, pereat
commoditas coelesti provisione concessa, indul-
tum est ea Dominicis quoque diebus peragere, *l. 3. b. add. c. licet*
5. *tam veteris. eod.* Rectenè an secus † disputant cum Theologi tum
Icti inter se. Jam olim sesquiseculo circiter postquam promul-
gata erat, impugnata iterum & rejecta fuit hæc Constitutio ab Imp.
6. Leone Nov. 54. ait enim: *Istius diei † debonestationis nullâ ratione*
niritur causa. Nam quanquam fructuum conservatio pretendi posse
videatur, nullius tamen illa momenti, neque vera futilis est, quum
non agricultura diligentia, sed Solis virtus, quando frugum largitori
visum sit, fructuum abundantiam suppeditet &c. Imperatoriæ pie-
tatis insigne quidem documentum, sed forte rigorem Mosaicum,
nimium redolens, à quo ipse Salvator recessisse videtur *Luc. 14.*
7. *vers. 5.* Nostris itaque moribus † restituta quasi videtur lex Con-
stantini, quam etiam apud Delphenses & reliquos Gallos obtine-
re testatur *Grænew. ad h. t.* sed non aliter, nisi reliquis diebus fieri
nequeat: Indistincte enim ut hoc probem, tantum abest, ut Sabbathi
profanatores severissimè coërcendos existimem. *Vid. Carpz. Jpr.*
Consist. lib. 2. D. 251. n. 10. Alber. Gentil. 1. de nupt. c. 6. Balduin. de
Cas. conscient. c. 13. cas. 5. Huc pertinet Casimiri, Marchionis Bran-
duburgensis Decretum apud Hordlederum de causis belli Germa-
ni *lib. 1. c. 3.* in hæc verba: *Doch mag und soll ein ieder Pfarrer son-*
derlich zu Sommer. Zeiten / und so unster Wetter ist / dem gemeynen
Mann sagen / daß er nach geschener Predigt und Göttlichen Aem-
tern / die auch die Pfarrer nach Gelegenheit desto zeitlicher halten
sollen / an seine Arbeit / zu einbringung des Heues / Brommers /
Korns / Habern / Weins / oder andern Früchten gehen und thun
möge / ohn einig Beschwerung seines Gewissens / doch auf daß hie-
rinn kein Frevel / Verachtung oder Muthwill gebraucht werde /
Confer Oldendorp. ad LL. XII. tab. tit. 1. c. 4. Felix Hämmerlein /
in tr. de arbore torculari ducendâ in die feste. PALMES

PALMES III.

Vindemiaturis † prospectum est de apto non solum tempore, ³
sed etiam ut commodè & quietè labores suos peragere pos-
sint, dies illi nefasti effecti sunt. Quid vero si ipso tempore vin-
demix uvas colligere prohibeor, aut aliò modò in possessione
turbor? In tali casu consulendus iterum est Julianus, qui *in l. 25.*
ff. de A. E. ita respondit: Qui pendentem † vinde-
miam emit, si uvam legere prohibeatur à vendi-
tore, adversus eum petentem pretium, exce-
ptione uti poterit: si ea pecunia de quâ agitur
non de eâ re petitur quæ venit, neque tradita
est. Coeterum post traditionem, sive lectam
uvam calcare, sive mustum evehere prohibea-
tur, ad exhibendum vel injuriarum agere pot-
est, quemadmodum si aliam quamlibet rem
suam tollere prohibeatur. Hanc vindemiarum em-
tionem † olim valdè frequentem fuisse innuit *C. Plinii Junioris* ³
epist. 2. lib. 8. Vendideram, inquit, *vindemias certatim negotiato-*
ribus ementibus. Mentionem quoque pendentis vindemix, em-
tori certò pretiò addictæ, facit avunculus ejus *hist. nat. lib. 14. c. 4.*
Sed cum vendentes ut plurimum fraudarentur, eò præsertim ca-
sû, quando inopiâ adigerentur, idcirco Imperator Rodolphus
II. cum cæteris Imperii Statibus, *Reform. Polit. Francof. 1577. tit.*
Wom verkauffen der Früchte im Feld/ auch Korn und Weingülten:
hasce emtiones certis limitibus circumscripserunt. Fructus pen-
dentes † uti dicuntur *in l. si debitor. §. 1. ff. de contr. emt. vel stan-* ⁴
tes, l. si apes. 26. §. 1. ff. de furt. l. fructus. 7. §. in terdum. ff. sol.
matr. qui emit, propriâ autoritate, suis tamen impensis collige-
re posse, ex *h. t. §. arg. l. si is. 19. supr. eod. Dd. autumant. Cujac.*
Recit. solemn. ad b. l. inf. Gothofr. b. Si igitur † uvam emtor, ⁵
legere (nota : uvam legi ad bibendum, eligi ad edendum, quam
D differen-

differentiam tradit *Varro de R. R. 1.*) prohibeatur à venditore, petentem pretium exceptione doli repellat, ut in *l. pure. §. si servus. ff. de dol. mal. & met. exc. l. 5. C. de evict.* quali rem venditam, puta vindemiam pendentem, non tradiderit. Nec enim videtur possessionem adeptus, qui eam ita nactus est, ut retinere non possit. *l. 22. ff. de Acq. v. am. poss.* Itaque pretium exigens

6. † offerre debet rem, sive pati emtorem uvam legere, (patientia enim venditoris h. l. pro traditione est, quemadmodum in servitutibus. *l. quoties. 20. de servit.*) sicut emtor, ne fructus legere prohibeatur, pretium, & quidem integrum; aliàs venditor rem pro pignore retinere poterit *l. 13 §. offerri ff. sup. b. t.* Postquam
7. verò † res & pretium invicem tradita sunt, sive lectam uvam calcare, sive mustum evehere prohibeatur, ad exhibendum, vel injuriarum agere poterit, ob vim turbativam, per quam jure suo uti impeditur; quam actionem quoque dant Ulpianus, Pomposus & plerique alii in *l. injuriarum. 13. §. si quis. 7. ff. de injur.* Sed
8. quarit Castrensis cur † ex emtō non detur actio? & putat eam post traditionem cessare; ejus vero in locum alias substitutas esse, videlicet ad exhibendum, injuriarum, rei vindicationem. Idem
9. sentit *Cujacius d. l.* Forfan tamen † ex emtō quoque agere poterit, quod non negat Julianus in *l. n. sed* reliquas saltim actiones
10. prodit, quibus emtori experiri licitum est. Nec obstat, † quod ajunt, actionem ex emtō ad hoc dari ut res tradatur, quod factum hīc esse constat: debet enim res ita tradi, ut emtori habere liceat *l. 30. §. 1. vers. quamvis. h. l. 25. §. 1. de contr. emt. l. 1. pr. de R. P. l. 8. l. 21. §. 2. ff. de evict.* Habere autem licere, est obtinere sine interpellatione id quod quis emerit, *l. 188. pr. ff. de V. S.* quod certe non præstat venditor, quando ipse uvam calcare, vel mustum evehere prohibet. De cetero, † qui exactas vindemiandi leges cognoscere amat, inspiciat Reformatam Vindemiandi Ordinationem Ducatūs Wirtemb. die. 10. Jul. 1607. Studgardia promulgatam, quam latinitate donavit, suæque Metrologiæ inseruit *Dn. Nicol. Mylerus ab Ehrenbach. sub fin. dict. oper.*

PALMES

PALMES IV.

Non *ἀπὸ* erit, de iis, quæ ad vindemiam spectant, vasis videlicet & mensuris vinariis, aliquid addere. Res Oeconomicas † & instrumenta rustica quidam duorum faciunt generum; 1.
hominum & adminiculorum: alii trium; vocalium, in quo sunt servi; semivocalium, in quo jumenta, boves, equi &c. & mutorum, in quo plaustra, rastra, ligones, corbes, dolia &c. Sabinus, † quem refert Ulpianus *in l. 8. ff. de instr. vel instrum leg. 2.* triplicia itidem, sed ab usu quem præstant, facit instrumenta: 2.
quærendi fructus, cogendi, & conservandi gratiâ parata. Quærendi; veluti agricolæ, boves, aratra, ligones, falces putatoriæ, bidentes, & si qua similia dici possunt: Cogendi; torcularia, corbes, falces messoriaræ, fœnariæ, quali vindemiatorii, exceptorii in quibus uvæ comportantur: Conservandi; dolia, cupæ &c. 3.
Cum prioris † generis instrumentis nihil rei nobis est, utpote cum fructus quæsi jam sint. Inter instrumenta alterius generis, nim. cogendi seu colligendi, numerari corbes, dubium quidem non est; sed an veteribus etiam corbis fuerit mensuræ genus, de eò non convenit Interpretibus. Fuisse olim per † cor- 4.
bem mensuram factam, perspicuè tradit Ulpianus *in l. 1. §. ult. ff. de peric. & com rei vend.* Sed vix est † ut credamus hoc, eò præ- 5.
sertim, quod Corbes tùm temporis æquè ac hodiè ex viminibus conficiebantur, ut docet Varro *de R. R. lib. 1. cap. 22.* Quâ ratione etiam inductus Cujacius corbem mensuræ genus esse negat 2. ob. cap. 36. Existimarunt igitur † Gothofredus, Brissonius, 6.
Salmuthius, Ulpianum *in d. l. 1. §. ul.* joculariter loqui, & per *εἰσπαιεῖται*, quasi diceret: Vinò doliari venditò, nisi solitò & statutò tempore (antequam ad vindemiam dolia fuerint necessaria *l. 4. §. fin. ff. de per. & com. R. V.*) tollatur vel avehatur ab emtore, venditor *per corbem* quasi per cribrum poterit mensuram facere, sive ut ipse Jctus explicat, effundere. Sed id non placet † 7.
Turnebo, qui *lib. 7. advers. cap. 23. ex d. l. 1. §. ul.* conjicit, urnas & amphoras sparteas, pice firmatas, comparari solitas ad vinum metiendum, cum, si fictiles essent, tractando sæpe, ut in metiendo fit, frangerentur. Cum Turnebo † facit Hilliger ad Donell. 8.

lib. 16. cap. 14. lit. F. hâc potissimum ratione, quia Sabinus *in d. l. 8. de instr. vel instrum. leg.* torcularia (quæ propriè vasa vinaria, Ulpianus existimat *l. 206. ff. de V. S.*) & Corbes conjugit. Ergò, putat, quod de torcularibus pronunciatum est, ut scilicet sint vasa vinaria, erit quoque de corbibus constituendum. Verum tamen † argumentum hoc firmò nequicquam stare talò, ex eò patet, quod Iustus ibi non vasa vinaria enumerat, sed instrumenta cogendi fructus, in quibus non tantum sunt vasa, sed alia quoque, ut falces messoriæ, ungues ferrei ad secandas uvas &c. quæ tamen vasorum numero haberi nemo dicet. Sed prævaricatur † iterum Cujacius, aut certè oblitus eorum quæ asseruerat *2. obs. 36.* corbem liquidis retinendis ineptam, multò minus mensuram esse: In suis namque recitationibus solemn. *ad l. 8. ff. de rit. vin. vel ol. leg.* operosè adstruere laborat, corbem & vas vinarium esse, & mensuram. Et illud quidem meâ sententiâ non ineptè.

9. Tametsi enim, † ut innuit Varro, corbes ex vimine fieri solebant, de iis tamen Ulpianum intelligendum haud puto, verum de fictilibus vel æneis, qualibus quoque veteres usos fuisse non solum *ex ix. n.* sed Columellâ quoque *lib. 12. cap. 26.* videre est. Verba ejus recitat Cujacius *d. l. Mustum*, inquit, *in corbem diffundi, & aqua dulcis puteana decimam partem adjici, & coqui, donec aqua qua adjecta est, decocta fuerit.* Quæ utique non de vimineâ, sed vel fictili vel æneâ, quæ ignem ferre potest, accipi debent. Ex quò facilè liquet, etiam mensuras per corbem fieri potuisse, quod ex Catone & Polluce ostendit ulterius Cujacius. Facit præterea

10. † quoque, quod *κόρυθος* (qui corbis est Romanis) apud Græcos sit *μέτρον ἀμφωμέτρων*, mensura metiens res ambas, tam aridas quam liquidas, *χωρὸν χόας τρεῖς*, tres choas sive congios capiens, ut scribit Hesychius. In numerò † Romanarum mensurarum, corbis equidem non reperitur apud Autores qui de iis commentati sunt, fortè quod illa mensura frequens & usitata minus fuerit; vel quod veteribus tantum, (quod innuit Ulpianus *in l. n.*) sequioribus verò temporibus in desuetudinem iverit; vel quod

11. Cophini nomine magis nota. Mensuræ verò Romanis usitatiores † sunt Culeus, continens amphoras XX. Amphora urnas II. Urna congios II. Congius Sextarios VI. Sextarius heminas II.

Hemi-

Hemina quartarios duos; Quartarius acetabula duo; Acetabu-
 lum sequicyathum; Cyathus ligulas five cochlearia IV. Sextari-
 us autem habet libram & bessem five XX. uncias, non *αδμινὰς*, 14.
 gravitatem; sed *μετρίαν*, molem corporum examinantes. Ali-
 ter sentit Budæus, aliter Alciatus, aliter Portius. Longillimè ab
 hâc opinione recesserunt Angelus Politianus & Demetrius Ala-
 baldus, sextarium trium amphorarum capacem asserentes. Con-
 tra omnes hos solidissimè disputat Georgius Agricola *de mens.*
& ponder. Rom. & Græc. toto lib. 1. Hæc de mensuris. Vasa
 vinaria † veteres habuerunt plurima, non quidem significatio- 15.
 ne strictissimâ, quomodo accipit Julianus in *l. 206. ff. de V. S.* sic
 enim sola torcularia hōc nomine censebuntur; sed latâ, prout o-
 mnibus liquoribus recipiendis parata sunt, veluti utres, dolia, fi-
 ctilia pleraque & plumbea *l. 26. de instr. vel instr. leg. cadi, cup-*
pæ vel cuppulæ, trullæ l. 2. l. 15. de trit. vin. vel ol. leg. serix l. sed
si quid. §. de quibusdam. ff. de usufr. l. vinaria ff. de V. sign. testæ
 &c. Omnis item generis † pocula: crateres *l. 3. §. ul. de supell. leg. 16.*
 scyphi, phialæ, truella, modioli, *l. 36. ff. de aur. arg. & mund. leg.*
vide Pancirol. Thes. var. lect. lib. 1. c. 58. pocula oleagina *l. 30. de*
Leg. 3. aurea, argentea, murrhina, cristallina, vitrea, l. 2. l. 11. ff.
de supell. leg. gemmata, cœlata, emblematica, electrina, cornea,
 hederacea, fagina &c. quorum passim in Jure & alibi apud Auto-
 res mentio fit. Qui plura de his vult videat Stukii *Antiq. Convi-*
val. Rosin. antiq. Rom. lib. 5. cap. 30. ibiq. in Paralip. Dempsterum,
Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. Lips. antiq. lect. lib. 3. Cæl. Rhodig.
lib. 27. cap. 27. & lib. 28. cap. 6. Pancirol. d. l. c. 58. 61. seqq. Cel-
 las vinarias † five horrea vinaria, uti appellantur in *l. 7. de instr.*
vel instr. leg. l. 2. C. de peric. & comm. R. V. vid. Briffon. select. an. 17.
riq. lib. 4. cap. 18. veteribus jam tum fuisse cognitæ, liquidò con-
 stat ex Plinio quoque *lib. 14. cap. 21.* Et ubi commodè extrui de-
 beant tradit Colum. *lib. 1. cap. 6.* *Vinaria cella summotâ procul*
esse debet à balneis, furno, sterquilino, cisternis, aquisve salien-
ribus. Sed an hæ † cellæ subterraneæ fuerint, ut nostræ, non fa- 18.
 cilè dixeris. Dubitat Pancirollus *deperd. tit. 25.* hâc potissimùm
 ex causâ, quia dolia sub terram defodi solebant *l. cum instrumen-*
to. §. l. cum fundo. 21. l. dolia. 26. de instr. vel instrum. leg. l. pen. §.

1. ff. de A. E. quod utique supervacaneum fuisset, si cellas habuisset.
 19. sent subterraneas. Dicebantur etiam Apothecæ † ut in l. 21. §. 6.
 ff. de furt. quæ interdum mobiles erant & parvæ, ut repletæ ali-
 20 quot amphoris asportari aut avehi possent. Lacus vero sive †
 Laccus, à Græco λάκκος, Ulpiano in l. 27. §. ul. ff. ad L. Aquil.
 idem est, quod in l. 21. §. 5. ff. de furt. vini cisterna. Sed nec Budæi
 & Pancirolli sententia rejicienda est, qui excipulum musti inter-
 pretantur. Non enim impossibile vel absonum est, laccum eò in
 locò positum fuisse, ut vina è torcularistatim in eum profluerent.
 vid. Colum. lib. 12. cap. 26. Hunc laccum tectoriò sive crustâ sole-
 bant inducere, quem, ubi tector, qui curandum conduxerat, per-
 tuderit, in factum teneri Labeo ait d. l. 27. quia imperitia culpæ
 annumeratur. Vid. Cujac. 10. obs. 9. quod ad victores non incom-
 modè applicari potest. De torculis seu torcularibus, machinis,
 uvis exprimendis idoneis, multa quari solent, videlicet: An
 cuivis privato ea in fundò suò extruere liceat? an immobilibus
 accenseantur? an ædificium, vel fundum venditum sequantur?
 an legatò vel venditò torculò, vasa quoque vinaria, Butten oder
 Kester. Geschier? an etiam der Kester. Satz/ sive jus cogendi vici-
 nos, quod emtor habuit, transeat? Quæ omnia affirmativè, addi-
 tis tamen certis limitationibus, decidit Dn. Nicolaus Mylerus ab
 Ehrenbach / Metrolog. cap. 18. De torculò publicò & bannali,
 ejusque juribus, varia movet idem Autor, d. l. c. 19. & 20. quem
 vide omninò.

RACEMATIO IV.

PALMES I.

1. **A**D vinum tandem ipsum nos ordo deducit, quod quidam †
 dictum putant quasi vis numinis, quemadmodum lapis læ-
 dens pedem. *Ἐν ἡ* Græcis, *ἡ δὲ τὸ δυνάμει τὸν νῦν ἐμπιμπλᾶν*,
 quod existimatione & vanitate opinionum mentem impleat,
 ceu vult Plato; vel *δὲ τὸ τῆς δυνάμει*, ab emolumento. Utrum verum
 sit, an neutrum, parum refert. Nec etiam definitionem † ejus
 2. anxie investigabimus, omnibus quippe constat, nobis vinum nil
 esse aliud quam liquorem uveum; tametsi interdum vox hæc a-
 liis

illis quoque succis tribuatur, proptereaque Græci ad reliquorum
differentiam *δύο ἀμπέλινον* dicere soleant. Vinum vel novum
est, † sive mustum, vel vetus. Medium quoque, quod caninum 3.
vocant, agnoscunt aliqui, *vid. Cæl. Rhodig. lib. 28. cap. 37.* Ve-
tus accipietur, quod non est novum, i. e. & anni prioris vinum,
appellatione veteris continebitur *l. 11. de trit. vin. vel ol. leg.* nam
aliter observantibus quis finis aut quod initium veteris vini su-
meretur? *l. 12. eod.* Hinc notatur à Gothofrodò Bartolus, qui *in*
l. 2. ff. de R. C. definit vinum illud vetus esse, si, simul ac clarum,
esse cœpit, ultra annum servari non possit. Novum iterum est
† vel lixivum, spontè in laccum defluens, antequam premantur 4.
uvæ, Græcis *σπόγγιον*, *der Borschuf*; vel circumcisivum, sive
tortivum, quod post primam pressuram vinaceorum circumciso
pede, exprimitur. Varro *1. de R. R. cap. 54.* Colum. *lib. 12. c. 26.*
27. & 36. vel præliganeum, quod operariis dabatur, Plinio inde
vinum operarium & deuterium dictum. Aliàs lora, quasi lota
acina, Oxycratum quoque *vid. B. Ursin. Atr. Latin. cap. 41. §.*
536. Varia præterea † vina sortiuntur nomina. Vel à patriâ 5.
seu locò ubi nascuntur, ut Campanum *l. 11. §. 3. ff. Loc. Surrenti-*
num, l. ul. pr. de trit. vin. vel ol. leg. Aminæum, *§. 1. eod.* Alba-
num, Falernum (hodiè Græcum, Italis *magna guerra* nuncupa-
tum) Setinum, Fundanum, Trifolinum, Cæcubum, Signinum,
Mamertinum, Tarraconense, Nomentanum, Spoletinum, Peli-
gnum, Massilitanum, Caretanum, Tarentinum, quæ singula
singulis epigrammatis ornavit Martial. *lib. 13.* Corcyraum, Cre-
ticum, Træzenium, Monobasites, (quod Malvasium modo voca-
ri vulgò conjeçant) Pramnum, (Pharmacites ab usu dictum,)
Chium, Schedium, Vejentanum pessimum, & sex centa alia,
quorum nomina partim mutata, partim adhuc obtinent. Vel
qualitate † naturali; ut nigrum, album, rubrum, gilvum; aci- 6.
dum, dulce, molle, durum &c. vel superveniente, † ut: Aromati-
tes, Conditum, Cydoneum *l. 9. de trit. vin. l. ol. leg.* Vel aliis
pluribus † ex causis; ut doliare, quod in doliis reconditum *l. 1. §. 7.*
ul. ff. de per. & com. R. V. diffusum, quod in cados & amphoras
diffunditur *l. 6. de trit. vin. vel ol.* defrutum, passum *l. ul. §. 1. eod.*
colatum, picatum. Consulare Opimianum, Anitianum, à Coss.
sub

sub quibus natum erat, quorum nominibus vasa insigniebantur, de quò multus Poëtis sermo, madido præsertim Horatio. *vid. lib. 2. od. 3. lib. 3. od. 14. 21. & 28. epod. 13. epist. lib. 1. ep. 5. ibiq; Lambinum.* Muscatellatum dictum, quod telis muscarum hæ uvæ crebrò petantur. Rasile † quoque in utribus fumò exsiccatum Arcades olim habuisse Aristot. 4. *Meteor.* tradit. Tale vinum in Rhætiâ se vidisse & bibisse testatur Lambinus *ad Horat. lib. 3. c. 8. vers. fumum bibere instituta.*

PALMES II.

Hæc de vinis in genere præfari libuit; videamus nunc quatenus jura de iis disponunt, & primò quidem in Legatis. Vini legato † acetum quoq; continebitur quod paterf. vini numero habuit *l. 1. b. licet vinum antea fuit & postea coacuit l. 85. pr. in f. de Leg. 3.* non ergò acetum, quod vini numero non habuit, *l. 2. in fin. sup. de opt. vel elec. leg.* Hinc, si testator † leget C. vini amphoras, nec tamen habeat, hæres præstabit legatario non acetum, quod venditori pro vino erat, sed merum. *l. 3. pr. Cum enim ipse testator nullum reliquerit, de vino planè sensisse videtur, ajunt Accursius & Cujacius b.* Nec propterea † quod ipse non habuit, inutile fit legatum; eæ siquidem res quæ pondere, numero & mensurâ constant, si quantitas adjiciatur, omninò præstandæ sunt. Secus est in corporibus; ut si hominem vel domum leget, nec tamen habeat, cum incertum sit de quò senserit, derisorium magis quam utile videtur legatum, *l. si domus. de Leg. 1.* Si vero ipse habeat † & heredem damnet uxori suæ dare vinum, oleum, frumentum, acetum, mella, salsamenta; ex singulis non quantum voluerit, quod Trebatius ait, sed omne quantum paterf. reliquisset, dabit. *l. 7. pr.* Vini tamen appellatione id solum continebitur, quod ex vineâ natum vinum permansit, quale est Oenomeli, defrutum, passum, acinatitium, quoque, (negationem enim editio Florentina non agnoscit,) quod glossa explicat, *ad usum comparatum*, quasi reliqua vina non ad usum essent comparata. Stephanus Forcatulus in *Pensuris Juris*, existimat † acinatitium nil esse aliud quam Loram, quæ fit ex vinaceis aquâ perfusis & mâceratis. Aromaticum verò interpret-

terpretantur Hieron. Mercurialis & Alciatus. Sed neutram sententiam admittunt Cujacius 24. obs. 39. & recit. solemn. ad h. l. Menoch. l. 4. presunt. 152. n. 18. & ante ipsos Hermolaus Barbarus, qui ex Calliodori l. 12. hujus vini confectionem docent. Reliquorum qui scire desiderat, adeat facundissimum par rusticorum Varonem & Columellam loc. cit. Mullum verò (quod Nectar Accursio) † Camum, (quid sit disputat Alciatus pretermiff. 6. 1. hęc voce) Zythum, quod in quibusdam locis ex pane conficitur, (Cujacius legit Panico, quod unquam quisquam ex pane Zythum fieri non audiverit. Sed mendaci absolvit Ulpianum B. Reinesius 3. Var. 9. apud Dn. Pres. Differ. ad Tacit. de M. G. II. c. 2. 1b. 5.) cerevesia, (Etymon ejus ex primis incunabulis evolvit Dnus Pres. u. l. 1b. 7.) hydromeli, (Pallad. lib. 8. cap. 7.) Cydoneum, & si quæ alia sunt, vinò non continebuntur, si modò vini numerò à testatore non sunt habita l. 9. b. Ergò, si testator senserit, omnis sicera vini nomine veniet. Vasa quoque vinaria † legatò vinò cedent, etiam si hoc expressum non sit, l. 6. non 7. quia pars sunt vini, sed quia credibile est mentem testantis eam esse, ut voluerit accessioni esse vino amphoras, l. 3. §. 1. dolia tamen, maximè si depressa in cellà vinarià fuerint, aut ea sunt, quæ per magnitudinem difficilè moventur, utres item & cullei non debentur, ibid. & l. 3. §. fin. in fin. de pen. leg. idque verum est, tamen si omne vinum cum vasis legetur l. pen. non, quia vasa vinaria non sunt, id enim falsò putabat Trebatius l. Lucius Tirtius. 93. §. pen. ff. de Legat. 3. l. 206. ff. de V. S. Sed partim quoniam propter magnitudinem pro immobilibus habeantur, quæ non nisi cum fundò alienare moris erat; partim quia non ad vinum conservandum, sed solùm transportandum, ut utres, haberi solebant, quod latè ostendit Cujacius hęc. Si vinum vetus † legatur, ex usu testatoris legatum æstimabitur, i. e. quot annorum vinò pro vetere utebatur, l. 10. quod si non appareat, prioris anni vinum appellatione veteris continebitur l. 11. Vinò paternò † legatò, id demum legatum videtur, quod testator vini numerò habuit, non quod pater. At peculiari legatò id erit, quod servi pro vinò habebant. Cur tam diversè? quia paternum vinum jam cœpit usus ipsius testatoris esse, peculiare verò in usu servorum

E

rum

10. rum remansit *l. 9. §. 3.* Si cui dulcia † legata essent, non vina solum dulcia & potiones, sed uvas quoque, ficos, palmas, caricas habebit *l. ul. §. 1.* Quod si ita esset legatum: *Vinum amphorarium, Aminaum, Graecum & dulcia omnia*: nihil inter dulcia nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii *§. seq.* Si certus amphorarum † numerus ex certò quodam fundò legetur, & mendax fuerit fundus, ut loquitur Horat. nec tantum proferat, hæres quidem ultra non tenebitur, *l. 5.* Si tamen in singulos annos legatum sit, quantum hoc anno deest, tantum alterò ex eodem fundò legatario restituet *l. 13.*
11. Si C. amphoræ quas velles † tibi legatæ sunt, ex testamentò agendo consequi potes, ut degustare tibi liceat, aut quanti interfuerit licere tibi gustare, ad exhibendum agere potes. Quod si
12. per te stat † quo minus vinum quod in doliis est, accipias, periculosè quidem faciet heres si id effuderit, submoveberis tamen eum petes, exceptione doli mali, si non præstas id, quod propter moram tuam damnum passus sit hæres. *l. 8. add. l. 1. §. ul. & pen. ff. de peric. & com. R. V.*

PALMES III.

1. HÆc de legatis. Emere quidem & vendere † vinum licitum est, nec commerciò exemptum, ad Barbaricum tamen, i. e. barbaras nationes, transferre vel exportare, nullam quisquam habeat facultatem, nec gustûs quidem causâ, aut usûs commerciorum *l. 1. C. quæ res ex port. non deb.* fortè, ne dulcedine vini allecti fines imperii Romani promptius invaderent, quod jam olim Gallos primum alpes transire fecit, si credimus Livio *lib. 5. c. 33.* vel ne in prælia ituris animos adderet. Sed nec vendere
2. quibusvis † licet, quod de pagis quoque non plus miliari urbe aliquâ distantibus, servari testatur *Carpz. Jur. For. part. 2. C. 6. D. 4.* ne commercia urbium minuantur. Vinò venditò quid
3. venierit † liquidius constat, nec interpretatione ullâ indiget, cum contrahentes plerumque de certò pretiò pro certâ mensurâ tradendâ conveniant. Interdum tamen † fit, ut in mensurâ quidem consentiant, in materiâ tamen erratum sit, veluti si acetum pro vinò veneat. An subsistet venditio? distinguit Ulpianus

in l. 3

in l. 9. §. 2. ff. de contr. emt. Si ab initio statim acetum fuit, ut embamma, i. e. acetum factitium ad intinctus, tunc quidem non valere venditionem, quia aliud pro alio veneat; Si vero vinum fuit, & coacuit, valere. Additur ratio: quia eadem propè *et sic* i. e. substantia est. Sed tamen ita valebit emtio, ut emtori pro eò, quod suã interest, actio ex emto, & adilitiã restitutoriã dentur. Quod utut duriusculum † videtur *Molinæ d. 340. n. 15. & communis Physicorum sit sententia, vini & aceti et sic nullò modò esse eandem: vini calidam & humidam, aceti verò frigidam & siccam. Vid. B. Habn. ad Wesenb. tit. de contr. emt. n. 5.* Facile tamen apparet, de alio aceti genere loqui Ulpianum, quod in potu Romanis erat, vinò acidò: De aliò dissentientes, quod nempe in potu non est, sed inter embammata. Vinum venditum † hoc cum legatis habet commune, ut vasa quoque tanquam accessorium, illud sequantur; quod tunc demum verum putat Accursius *in l. in testamentis. de R. 7. si id nominatim expressum sit.* Sed prius placet Cujacio *rec. sol. ad l. 3. ff. de trit. vin. vel ol. leg.* Illud valde intricatum est, † vinò venditò quis de periculò teneatur, venditorne, an emtor? Quod ut rectè dignoscatur, necessariò sciendum est, quando perfecta sit emtio. Nam perfecta emtione periculum ad emtorem respicit. *l. 8. pr. ff. de per. & comm. R. V. §. cum autem. 7. de emt. vend.* Perfecta autem erit emtio simul ac de pretiò & re invicem tradendã convenerit, nisi actum sit ut in scripturam redigatur, *pr. & §. 3. 7. d. 1.* Restamen † certa esse debet: si incerta sit, puta homo, sine aliã designatione, nondum perfectus erit consensus & periculum semper venditoris manebit. *arg. l. 8. §. & si. b. 1.* Idem est in rebus pondere, numerò, & mensurã constantibus, in quibus non prius perfecta dicitur emtio, nisi adpensa, admensa, vel adnumerata sunt, modo non per averfionem, sed in singulas v. g. amphoras pretium constitutum sit. *l. 5. l. quod sepe. 35. §. in his. 5. ff. de contr. emt. l. 2. C. de per. & comm. R. V.* præsertim si actum sit, ut prius degustetur, *l. 4. §. 1. b.* Instar conditionis enim est, quã nondum existente venditoris erit omne damnum *d. l. 8.* Nec aliud est † tamen † met si emtor vasa signaverit, magis enim ne submutentur signari solent, quam ut tùm tradita videantur *l. 1. pr. in fin. & §. 2. b.*

E 2

Sed

10. Sed si post degustationem † & signationem mora fiat vel à venditore vel emtore, ei, qui committit, nocere debet, *l. 3. §. ul. ff. de*
11. *A. E.* Hinc emtori, † qui ad diem vina non tollit, nisi quid dolo venditoris interceptum est, præstari nihil debet. *l. 5. l. 17.* Imò venditor, si doliis ipse egeat, post factam denunciationem seu admonitionem, si emtor adhuc evehere cesset, per corbem mensuram facere, & vina effundere potest, *l. 1. §. pen. §. ul. b.* Satius tamen est obtemperare monito Ulpiani, & alia conducere vasa, nec reddi vinum, nisi, quanti conduxerit, ab emtore reddatur, aut bonâ fide vendere *d. §. pen.* Nec interest, licet alteri postea viliori pretiò vendiderit, cum hoc in locò æstimari oporteat, pretium quanti minoris sit *l. 3. §. ul. ff. de A. E.* Si nullum tem-
12. pus † adjectum quo tolleret, videndum ne infinitam custodiam non debeat venditor. Et verius est, antequam ad vindemiam necessaria fuerint dolia, avehì debere *l. 4. §. ul.* Ad vindemiam
13. autem † necessaria videbuntur XL. diebus ante, quò tempore, secundum Columellam picari vel gypso illini solebant, ne virtus vini aut raritate materiæ, aut poris vasorum occultis evanesceret. Si emtor in pretio † solvendo moram fecerit, usuras duntaxat, præstabit, non omne omninò quod venditor morâ non factâ,
14. consequi potuit. *l. fin. ff. de per. §. comm. R. V.* Venditor † vero in morâ si fuit, quo minus traderet, condemnari eum oportet, utrò tempore plus vinum fuit, vel quo venit, vel quò lis in condemnationem deducitur: It. quò locò plus fuit, vel quo venit, vel ubi agatur, *l. 3. §. 3. ff. de A. E.* id est, omnis utilitas in æstimationem venit, quæ modo circa ipsam rem consistit. Neque enim si potuit ex vinò negotiari, & lucrum facere, id æstimandum est, non magis, quam si triticum emerit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia ejus fame laboraverit; nam pretium tritici, non servorum fame necatorum consequitur *l. 21. §. 3. ff. de A. E.* Quid
15. si uterque † in morâ est? perinde esse, quasi per emtorem solum stetisset, Labeo putat in *l. 51. ff. de A. E.* quam sententiam temperat Pomponius, & ei, qui posteriorem fecit, nocere vult, *l. 17. ff. de per. §. comm. R. V.* nisi prior dolum commiserit. Ludov. Romanus *singl. 287.* quem sequuntur Castrensis, Socinus, Alexander. Vid. Amyl. Ferret. *de morâ n. 5. seqq.* Duaren, *ad l. si mora.*
- sol.*

sol. matrim. Sed quis sumtus vini † qui impenduntur, vulgariter 16.
der Weinkauff / præstabit? Emptori hoc vel in totum, vel pro di-
midiâ parte, pro consuetudine aut statutô cujusque loci incum-
bere tradit Jacob. Schultes. *sing. obs. c. 5. 55.* ex Frider. Martin. *de*
cons. cap. 6. n. 311. De arrhâ † vide *l. 11. §. 6. ff. de A. E. V. cui 17.*
junge l. debet. 27. ff. de Edil. Edict. & l. quod sepe 35. ff. de contr.
emt.

PALMES IV.

Cum præ ceteris famosa sit & celebris, peculiari quoque † exe- 1.
gesi dignabimns legem *Vinum. 22. ff. de R. C.* Verba ejus sunt:
Vinum, quod mutuuum datum erat, per judi-
cem petitum est. quæsitum est, cujus temporis
æstimatio fieret, utrum cum datum esset, an
cum litem contestatus fuisset, an cum res judi-
cicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset quo
tempore redderetur, quanti tunc fuisset; si non,
quanti tunc, quum petitum esset. Interrogavi,
cujus loci pretium sequi oporteat? Respondit,
si convenisset, ut certô locô redderetur, quanti
eô locô. Si dictum non esset, quanti, ubi esset
petitum. Verba legis † clara quidem sunt & perspicua, sed 2.
tot & tam varia esse quæ huic textui adversentur, ut vix doctissi-
mus quisque inde se expedire possit, fatetur Franc. Duarenus *in*
tit. C. si cert. pet. cap. 7. Et tam veteres quam recentiores Dd. mi-
rum quantum sudasse, seque hîc torsisse testis est Æmil. Ferretus
Jctus & Professor Avenionensis, *lib. de morâ n. 30. inf.* & M. de
Mantua *singul. 296.* Nec absre. Statim enim initio † mirum, 3.
cuidam videri possit cur Jctus dicat: *Quæsitum est cujus tempo-*
ris æstimatio fieret? Pro vinô mutuô datô de æstimatione inve-
stigandâ sollicitus est; cum tamen natura hujus contractûs re-
quirat, ut tantundem ejus generis & qualitatis restituatur, *l. 2. §.*

E 3

1. ff. b.

1. ff. b. §. 1. §. q. m. r. c. obl. nam si aliud genus, veluti pro triticō
 vinum, vel pro vinō pecuniam recipiam, mutuum non erit, ait
 Paulus §. 1. Nec creditori invito aliud pro alio solvi potest §. 2. *l.*
16. C. de solut. nisi forte convenerit *l. sed addes. §. si dominus. ff.*
Locat. aliud autem pretium est, aliud mox *l. si ita. 42. ff. de fidej.*
l. 1. pr. ff. de Rer. permut. Imò † etsi cautum non sit, ut tantun-
 dem & æquè bonum reddatur, tacitè hoc actum intelligitur. Ita
 non licet debitori deterio rem, etsi ex eō genere sit, reddere;
 veluti vinum novum pro vetere, verba sunt Pomponii *in l. 3. ff.*
 4. *b. t.* Resp. regulariter † quidem verum esse, invito creditori ali-
 ud pro alio obtrudi non posse, ex æquitate tamen, ut debitor li-
 beretur, & necessitate, si nimirum creditor satisfieri sibi velit,
 ad æstimationem deveniendum esse. Interdum enim debitori
 rem præstare impossibile est; interdum moram committit, non
 rarò etiam ex contumaciâ restituere non vult. Quibus certè ca-
 sibus creditori æstimatione rei subveniri æquissimum est. Nec
 enim cum alterius damno locupletari, nec mora & frustratio sua
 cuiquam prodesse debet, ceu notissimi juris est. Et verum qui-
 dem est † aliud pro aliō solvi non posse, hoc tamen ita accipien-
 dum est, si ejus generis copia haberi possit, vel creditoris damno
 cessurum sit. Sic rectè negat Pomponius *d. l. 3.* vinum novum
 pro vetere solvi posse, quia vetustum, & ut Plautus licentiosâ
 quadam elegantia vocat, edentulum, (cui ob senium quasi den-
 tes exciderint, *μαλακόν*) pretiosius habetur vinō novō. Quam-
 vis enim idem genus sit, non idem tamen, quia deterius est, vi-
 debitur; nec tantum usu Romano ut notat Gothofr. *ad l. 2. ff. de*
R. C. lit. P. illud verum est, sed hodiè quoque. Econtra tamen
 debitorem pro vinō uovō vetus creditori solventem, obligatio-
 nis nexu utique liberari Dd. statuunt. Rationem dant: quia etsi
 vinum in eadem bonitate ex ipsius contrâctus naturâ reddend-
 dum est, etiam si cautum non fuerit, per *xxx. sup. alleg.* quoniam,
 tamen vetus novo melius est, ipsum quoque bonum meritò dici
 debet *l. ubi a. non apparet pr. de V. O.* cum res quæ pluris est, u-
 bique tanta sit. *l. cum furti. ff. de in lit. jur.* ideoque creditorem,
 ad eam solutionem accipiendam cogi posse *arg. l. Paulus. 99. ff.*
 6. *de solut. §. lib. §. l. pen. ff. si ex nox. caus. ag.* Opponit † huic sen-
 tentiæ

tentia plurima Johannes Glossator, cui tamen abundè satisfactum per Joh. Corasium *miscell. lib. 3. cap. 12. n. 6.* Nec etiam probabile creditorem pro vino novò mutuato, vetus, tanquam melius, recipere recusaturum, cum non modo idem & tantundem, sed & magis quid recipiat. Non tamen † per omnia faci- 7.
mus cum Jacobo de Arenâ, & qui eum sequi videntur Curtius & Jason, qui, ut Fachinaus *lib. 2. contr. cap. 69. pr.* de iis testatur, autoritate legis nostræ, & *l. ratio. §. si per venditorem. ff. de A. E. & l. quoties in diem. ff. de V. O.* simpliciter credunt, pro quâvis re mutuo datâ, v. c. frumento vinò, oleò &c. æstimationem ejus in pecuniâ reddi posse invito creditori: falsum enim hoc est, & propterea nigros ab omnibus calculos tulisse dicit Federicus Scotus *ad l. 2. §. 1. n. 172. ff. b.* In quibus autem casibus receptum hoc fit, paulò ante dixi. Add. Dn. Struv. *Exerc. XVI. tb. 37.* Ratio decidendi † est in essentiâ numi, per quem æstimatio fit, quoni- 8.
am secundum Paulum *in l. 1. pr. ff. de contr. emt.* numus est materia electa, cujus publica æstimatio (seu valor aut potestas publicè recepta) difficultatibus permutationum æqualitate, quantitatis subveniret. Adeoque idem solvere videtur debitor, propter *ἰσοδυναμίαν* numo attributam *Conf. Fr. Hotom. quest. illust. 15.* Alterum, † quod dubium movere possit, est, quod Sabinus ait: si dictum non fuisset quo tempore redderetur, æstimationem fieri debere secundum illud tempus quo petitum est. At vero, plerisque in locis aliud tempus spectandum videtur. Sic *lex 3. ff. de cond. trit.* attendi vult tempus moræ, vel condemnationis, vel interitûs. Tempus it. moræ vel condemnationis *l. 3. §. si per venditorem ff. de A. E. V. & l. si sterilis. 21. §. cum per venditorem. 3. ff. eod.* Tempus quo quid novissimè solvi potuit, *l. si Calendis. 11. ff. de Re Jud. Contractus l. hominem. 37. ff. mand. & l. cum quis. 22. ff. de O. & A.* Variè respondent † Dd. ad hos 10
txx. Nos cum Duareno distinguemus inter contractus b. f. & stricti juris, & in his quidem tempus litis contestatæ *l. n. & l. uli. ff. de cond. tritic.* in illis verò tempus rei judicatæ attendi debere dicemus *l. 3. §. 2. ff. Commod.* In quibus verò locis diversum asseritur, hoc vel ex pacto, vel morâ, vel aliâ quadam speciali ratione procedere. *Vid. Marc. de Mant. ad h. l. disputantem contra*

Decium

Decium, & Singul. 296. Franc. Cremens. sing. 95. Cyn. Petr. de Bellapert. in l. in minorum. col. 9. C. in quib. caus. in int. rest. Alex. in l. semel mora. ff. de usu. & alios. Longe aliter sentit B. Arumæ.

11. *Disp. XI. tb. 5.* Adhuc † scrupulum movent Interpp. in verbis: *si non, quanti tunc cum petito esset*, modo ad extrajudicialem, modo ad fictam interpellationem referentes. Sed nodum in scirpō quærunt. Præterquam enim quod verba l. n. propter antecedentia non aliter nisi de litis contestatione accipi patiantur, expressè in super monet Labeo apud Paulum in l. amplius. 15. ff. Rat. rem. hab. de judiciali petitione intelligi debere. Argumenta eorum congeffit, & prolixè discussit Fachinæ. *contr. lib. 2. cap. 95.* Junge quæ habet Æmil. Ferret. *lib. de morâ num. 31.*

12. Sed quomodo † æstimatio facienda? Non certè ex imaginariâ adfectione, aut propensō in rem aliquam animō, sed in id quod interest, i. e. quatenus pecuniariter à patrimonio nostro seu revera abest. l. 13. ff. R. R. Hab. l. 3. C. de damn. inf. l. 13. l. 19. ff. ad exhib. Ad obstantes texx. respondet Mag. Dnus Præses *Diff. ad jus Justin. 18. apb. 18.* Illud autem quod interest, in rebus certam quantitatem habentibus, quales sunt fungibiles; vel naturam certam, ut corpora & species seu individua, duplum non excedat.

13. *Id. l. c. apb. 20.* Aliàs si simpliciter † æstimatio facienda, semper eam fieri debere pro eō pretiō, quo res in forō venduntur ait Paul. de Castr. *sing. 4. per gl. in l. scriptum. C. de erog. mil. ann. lib. XII.* Huc facit l. 1. §. 16. ff. ad SC. Trebell. & l. pretia rerum. 63. ff. ad L. Falc. Si non liquet, ad proborum hominum existimationem. *Carpz. Jpr. for. p. 2. C. 37. D. 6.* ejus rei peritorum, juramento tamen præstito. l. hac edictali 6. §. bis illud. C. de sec. nupt. Quod si quis eos male æstimasse asseruerit, ipsis æstimatoribus onus probandi, se nim. benè æstimasse, incumbere tradit Jos. Mascardus *de Prob. conl. 653. n. 10. & allegati ab eo.* Cætera quæ species legis n. continet, cum minus dubitationis habeant, lubenter prætermisimus.

PALMES V.

1. **R**estat ut de Oenopolis & Cauponibus quadam dicamus. Sunt autem ii † maximè famosi & noti ob vafritiem & fraudes,

des, quibus utuntur, partim adhibendo mensuras iniquas: partim merum castrando & jugulando, ut Poëta loquitur. Prioris delicti † coërcitio olim Ædiliū Curulium curæ demandata erat, qui reos flagellis cædebant, mensurasque publicè in forò frangebant, *l. 13. §. 8. ff. Loc. l. 12. ff. de Decur.* quam potestatem postmodum ipsis Claudius ademit. Sueton. *in Claudio.* Divi verò Hadriani decretò dupli condemnabantur, & in Insulam relegabantur. *l. pen. ff. de fals.* Hic mos frangendi † mensuras non omninò exolevit; Et quidem ad augendam fraudantis ignominiam, fractio hæc fieri solet ante januam illius, qui ejusmodi mensuris usus fuerit, quod notat Molina *de Just. & Jur. disp. 701. n. 10.* Poenâ prætereà arbitrariâ puniuntur. Dn. Mylerus *l. c. cap. 9. §. 3. n. 4.* De posteriori, † nimirum vini corruptione, jam olim conquestus est Horatius, qui perfidos & malignos propterea insignire solet Caupones, *Serm. lib. 1. Satyr. 1. & 5.* Martialis quoque *lib. 3. epig 57.*

Callidus imposuit nuper mihi Caupo Ravennas,

Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Quanquam hoc ipsum malè habet, quod pro vinò dilutò merum acceperit. Ravennæ siquidem vini copia major quam aquæ, quod docet præcedens epigramma:

Sit cisterna mihi quam vinea, malo, Ravenna,

Cum possim multò vendere pluri aquam.

Hujus quoque nequitia † admodum gnari sunt vectores & m-
vicularii, dum pro vinò doliis clanculū extractè, aquam im-
mittere sverunt. Eam compescere laboravit Imper. Maximilianus Friburgi Anno 1487. in Ordnung und Sakung über die
Wein/ Rubr Von den Fuhrleuten der Wein. ibi: Nach dem auch
ie zu Zeiten die Fuhrleut und Schiffleut / so Wein zu Land und
Wasser führen / und ihren Lohn darum empfaben / unterwegs im
Herbergen / und in ihren eignen Wohnungen / aus den Fassen / so
sie also führen / ohn der Herren / deren sie sind / wissen / weindieblisch
nehmen / und nach ihren Gefallen verzehren / auch an desselben ge-
nommenen Weins statt / Wasser giessen / die Faß wiederum damit
zu füllen: Soll solches hinführo denselben Fuhrleuten und Schiff-
leuten / nicht verhenge / gestatt / noch zugesehen / sondern darum mie

F

same

samt den jenigen/so ihnen dessen verholffen hätten/es weren **Wirts**;
Knecht/ oder andere/ nach Maß ihrer Verhandlung/an ihren Eh-
ren/ Leiben und Gütern ohn Nachlassung gestrafft werden. Quod
6. reperitur † in Reform. Polit. August. Vindel. 1548. rubr. Von
den Schiff- und Fuhrleuten/ ubi additur: Wo auch hinführo ei-
niger Schiff- oder Fuhrman/ oder jemand anders/ wie die Rahmen
haben möcht/ den Wein mit Kalk/ oder dergleichen schädlichen Zu-
satz oder Einschlag/ bereiten/ und fälschen würden/ der soll gleicher
weiß/ nach Gestalt seiner Überfahung/ an sein Ehren/ Leib oder
Gut härtiglich gestrafft werden/ und einer jeden Obrigkeit hiemit
ernstlich aufgelegt sein/ solchen schädlichen Betrug für zu kömen/
und die Überfahrer ernstlich zu straffen. Modus quoque præscri-
bitur † quantum sulphuris addi liceat d. l. Von Sazung über die
7. Wein. rubr. So man die Wein ablassen wolte. in verbis: So
man die Wein ablassen wolte oder würde/ daß man die dann in ein
schlecht/ unzubereitet einigs Bemächts/ Faß ablaß. Doch also/ ob
jemandes/ wer der were/ in dem Ablassen/ um Beständigkeit willen
des Weins/ sein Faß mit einen Schwefel zubereiten wolt/ daß solt
er zu thun Macht haben. Doch ein Wein einmal/ und nicht mehr/
auch nicht anders/ dann zu Bereitung einem fuderigen Faß/ ein
8. Loth lauters Schwefels etc. Prohibentur præterea quoque † no-
xia vinorum compositiones & mixtiones, rubr. Von Kräuter-
Wein: Item/ es sollen auch Alandt/ Salven/ Vermusch/ und an-
dere dergleichen Würk-Wein/ desgleichen die Beerwein/ Rempt-
Wein/ und Span-Wein/ hterin/ die zu ihren füglichzeiten zu
geniessen/ und zu gebrauchen/ wie sich zieme/ und von Alters her
kommen ist/ vorbehalten/ und aufgesetzt werden. Desgleichen auch
die Malvaster/ Rheinsfall/ und andere Welschwein/ auch gefeuer-
te/ und gesottene Wein/ keinerley schädliche oder böse Bemächte o-
der Zusatz gethan/ noch daß der keiner unter den andern gezogen/
auch mit andern Wein nicht gemehret/ sonder ein ieder für sich
selbst hingegeben/ und ausgeschenkt werde/ bey der höchsten Busß/
wie ob stehet. nimirum: Daß den Fassen der Boden ausgeschla-
gen/ und der Wein verschüttet/ und darzu ein ieder zu jedem mal
an Peen nemlich hundert Gilden Rheinisch/halb in unser und des
Reichs Kammer/ und den andern halben Theil seiner Herrschafft/
ungh

unablässlich zu bezahlen verfallen sein / und also gestrafft werden.
De Oenopolis † similiter quoque cavetur in der Chur. Bayer 2c. 9^o
Lands und Poltey Ordnung lib. 3. tit. 1. art. 3. ibi: Es solte auch
gedachte Obrigkeit durch fleißig Aufmercken / und wie es am besten
geschehen kan / darob sein / das der Wein gerecht und unvermische
durch die Wirth ausgegeben / und fürgetragen / und also die schäd-
liche Vermengung / und andre betrügliche Handlung mit den Weins
ben ihnen den Wirthen abgestellet und fürkommen werde. Et ex
hac ratione interdictum est † Cauponibus vina Bavarica & ex-10^o
terna ex eadem cella vendere d. art. 6. rubr. Das die Wirth in
Stätten und Märkten neben andern Weinen keinen Bährischen
Wein einlegen sollen. Quod ampliatur: ob auch derselbe schon ei-
gen Gewächs hätte / soll er sich doch desselben gänzlich enthalten.
Sed in hoc † discrepat die Pfälzische Ungeltes Ordnung 1. item. 11^o
alle. fol. 27. quæ constituit, daß kein Wein. Wirth / der Franken /
Necker / oder Rheturwein ausschenckt / einigen Land. Wein (aus-
serhalb seines eigenen Gewächs) einlegen oder schencken / damit die
guten Wein dadurch nicht gefälscht / und der gemeine Mann über-
führt werde. Et paulo post: Und einer also eigen Gewächs einlegt /
soll derselbe Wein allein und unvermische ausgeschenckt / und ver-
pöschtert werden / auf welches alles die Ungelteser ben ihrem Pflich-
ten mit sonderem Fleiß und Ernst achtung geben sollen. Rationem
differentiæ investigare laborat Dn. Caspar Manzius, *Decis. Pa-*
lat. quæst. 25. in fin. ubi etiam præjudicium habet in causâ Cau-
ponum zu Ettershausen / quo uni eorum venditio vini Bavarici,
alteri, peregrini concessa est. De Oenopolis & Cauponibus in
Galliâ prostant les Ordonnances de la ville de Paris, quarum
summam refert Laur. Bochellus *Biblioth. du Droit François tom.*
3. rubr. vins. p. 100. seqq.

PALMES IV.

ACeti supra aliquoties facienda nobis fuit mentio, cumque vi-
ni quasi soboles sit, operæ erit, pauca quædam, quæ huc face-
re videbuntur, accersere. Constat autem † veteres acetum in- 1^o
ter potulenta habuisse l. 3 §. 5. ff. de pen. leg. Et Spartianus in *Pe-*
scennio: Juslit, inquit, in expeditione neminem bibere vinum,

- sed acetō universos esse contentos. Constantinus tamen & Julianus Imp. mutatis vicibus, nimirum unō die vinum, alterō acetum milites percipere voluerunt *l. 1. C. de erog. mil. ann.* Quam vivendi rationem ipsos quoque non rarō Imperatores observasse proditum est. Adde Gothofr. *h. lit. S.* Plutarchus in *Catone Censor.* ὕδωρ ὃ ἐπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἰσὸς ἐπιφύλακας περιφλεγῶς, ὄξος ἤτησεν. *Aquam bibit in militia, nisi si in acris siti & calore acetum posceret.* Græcis planè in deliciis fuit, & propterea ἀεισὸν τῶν ἠδυσμάτων, aliquando etiam ἠδύς, καὶ ἔξοχόν dictum. Vide ἀειβέσατον Criticorum Dn. Præsidem *alleg. Diff. II. cap. 2.*
2. *ib. 10. seq.* Ad refrigerium autem † sitimque restingvendam maximè facere existimant, quia naturæ est valdè frigida, adeò ut veteres quoque illò uterentur in suffocandis incendiis, quod apertè docet *d. l. 3. §. 5. de pen. leg. & l. 12. §. 18. de instr. vel instrum. Leg.* ibique ex Macrobiò & Luitprando Gothofr. *lit. N.*
3. Dn. Præs. *d. l. 12.* Mira præterea vis est aceti † in solvendis unionibus, quod Æsopum Tragœdi filium, meretricem Reginam, & Caligulam Imp. historiæ fecisse testantur. Eoque respicere putant aliqui, quos inter Hilliger *ad Donell. lib. 8. cap. 17. lit. E.* legem *Seja. de aur. arg. & mund. leg.* Seja unionem cum hyacinthis legavit, postea unionem solvit, neque mortis tempore unionem inter ornamenta sua reliquit. Quæsitum est, an hæres æstimationem ejus præstare debeat? Et respondit Marcellus, non debere. Ratio, inquit Accursius, est, quod testatrix dum viveret, Antonia Tertullæ unionem jam solvit præstititque. Sed meritò ridetur à Brissonio, Gothofredo, Salmuthio, aliisque eminentioribus, quia menti Jcti nequaquam congruit. Quamquam nec Hilligeri sincera videtur. *Solvere igitur in d. l.* aptissimè accipiemus de religatione seu demtione, ut idem sit, ac si Marcellus dicat: Seja Antonia Tertullæ hyacinthos cum unionem, eadem connexos lineâ seu vinculo, legavit; postmodum vero unionem solvit vel exemit &c. Aliud porrò † acetum est, ὄξος κνευασόν, quod non tam bibitur quam editur, & conditura five intinctus (quod ajunt) locò est, dictum embamma, ab ἐμβάπτεν; quale est acetum Scyllicitum, de quo Columella *lib. 12. c. 34.* Vid. *Cajac. obs. XV. c. 27. in fin.* Præparabatur autem † ex
varijs

variis condimentis, vel ut glossa *ad l. 7. de trit. vin. vel. ol. ieg. au-*
tumat, falsamentis. Id verò ineptum videtur Cujacio, *Ret. sol.*
ad. d. l. 7. qui falsamenta falsos pisces, Thynios vel Thunios,
haleces, lardum quoque & ejus generis alia, interpretatur. Quod
verum est.

TANTUM.

Addenda post Palm. 5. Racem. I.

Propè obliti eramus notabilis illius & ab omnibus tam anti-
quis, quam recentioribus Interpretibus vexatæ quæstionis,
quam decidit Papinianus *quest. lib. ii. in l. 7. §. 1. ff. sol. matrim.*
Estque ferè talis: Seja Kalendis Octobr. matrimonium cum Titio
init, eique in dotem dat fundum, pendente vindemiâ: legit u-
vam maritus, fundumque ex Kal. Nov. ejusdem anni locat XII.
aureis. Pridie autem Kal. Febr. dissolvitur matrimonium, at-
que ita stetit menses 4. locatio 3. Quænam ratio fructuum est ha-
benda? Respondet Papinianus, vindemiæ fructus & quartam
portionem mercedis, instantis anni, confundi debere, ut ex eâ
pecuniâ tertia portio viro relinquatur. Itaque si fructus perce-
pti sunt aureorum XII. locationis item XII. tres illi aurei qui ex
quadrante locationis debentur, confundendi sunt cum XII. fru-
ctuum vineæ perceptorum & sic emergunt XV. Non enim toti-
us anni pensionem conferri par est, quia jam ante locationem,
ex vindemiâ commodum sensit maritus. Si verò vinea vacua
in dotem fuisset tradita, integri canonis trientem marito relinqui
æquum esset. Vide Cujac. *ad Papin. b.* Ex his XV. tertia portio,
V. viro relinquenda sunt, deductis tamen prius impensis, quas
tam vir, quam uxor fructuum gratiâ fecit; ita quidem, ut etsi
matrimonium X. annis steterit, primi anni adhuc computentur
impensæ, *pr. b.* quod si ex illis fructibus nihil amplius supersit,
ex supremi anni proventibus compensationem fieri debere
Glossa statuit *arg. l. Imperator. & l. seq. de leg. 2.* Ita cum Cuja-
ci *l. b.* interpretatur Dn. Præf. Patronus observatissimus *Diss.*
3. epb. 15. ubi aliter sentientes allegat.

Coronidis locō observandum duximus Imp̄. Arcadium
& Honorium iussisse per omnes provinciās, cunctis numeris ac
militibus, à Novembris mense, de novellō vinō annonam dari,
quoniam erogatio veteris dispendiosa videatur. Quem tx. Bal-
dus & Romanus pro universali accipiunt, & ridiculè putant, præ-
cipi hīc potationem vini novi, & omissionem veteris; sicque
quod de annonâ & Salgamō militum constitutum est, ad
omnes irrationaliter extendunt.

Non opus hīc hederâ: Sunt vina
recondita priscis
Consulibus, genio, Cynthie,
fusa tuo.

Vinea luxuriat, vindemia turget,
abunde.

Ex prelo latices pressa flet uva
meros.

Prohæc labra, meri stant ebria po-
cula, poscam.

Temperet hic alius, nos mera
pocula damus.

Gratulabundus

PRÆSES.

Promit

PRomit dulce merum præfens
Vindemia Juris,
Et superat patrii fervida vota
foli.

Auguror hinc, jam ferta parat The-
mis inclyta, junget
Mox TE cordatis Patria grata
viris.

in honorem

*Nobilissimi Dn. Autoris, conterranei sui atq; amici
suavisimi hac paucula scribere voluit*

JOH. PET. PRÜKL.
M. D.

Quare hederas vino suspendam, Candide
amice?

*Vendibile est, offert quod tua sacra The-
mis.*

*Vinitor hinc celebra latus Vinalia, gratus
Incinge & Themidi vite virente comas.*

ANDREAS JANUS, R.
FINIS.

DR. OMNIBUS DULCE MEMORIAM PRESENTIS
VINDICEMUS JURIS

ET SUPPETAT PATRI SERVIDA VOTA

JOH.

Auguror hinc iam tanta parat The-

mis inlyca iudget

Mox TE cordatis Patris gratas

VITIS

Wolffgang Dr. Juris, consiliarius des Reichs
in der Stadt Regensburg

JOH. PET. RÄUK.

M. D.

Clarior hinc vno suspicamus, Candidis

Vindictis est, offeratque me facit The-

Vincitor hinc celebris hinc Vindicta, gratas

Invenge & Throni, cui curam co...

ANDREAS JANUS, R.

F I N I S



ULB Halle 3
003 349 802




Sl.

WNTA







1670, 53^a

24

C.
IA JURIS,
 IO JURIDICA
 De
N O,
 Quam
 um ordinis indultu,
 RÆSIDIO
S STRAUCHII,
 s famigeratissimi, Sere-
 ax. ut & Celsissimi Princi-
 ALBERTI Ducis Brunsvicensis ac
 eminentissimi, Facultatis Juridicæ
 ncialis atque Scabinatûs Adfello-
 ravissimi &c.
ceptoris ætatem devenerandi
 quisioni exponit
DRUS ALBERTUS
 er / Ratisp. A.
 . a. d. Kal. Decembr.
 E N Æ,
 HANNIS NISIL.

